1360

# MESSIS LILIORVM QVINARIA,

EX HORTO MARIANO
SALVTATIONIS ANGELICÆ,
FALCE ANAGRAMMATICA,
COLLECTA,
ac in Fasces, & Aceruos, dein Sertum plexa,
Capiti Magnæ DEI MATRIS,
caput venenosi serpentis, in sua IMMACULATA CONCEPTIONE, Gloriosissimo triumpho conterentis,
*Nouo deuoti Messoris inuento*
DICATA;
ET AD HONOREM EIUSDEM
SS. VIRGINIS,
ABSq; MACULA ORIGINALI CONCEPTÆ,
*A*

M. STANISLAO JOSEPHO BIEZANOWSKI Leopol.
In Alma Vniuersitate Cracouiensi,
*Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Poëseos Professore,*

Apollineis Epigrammatum Corymbis,
& Panegyrico applausu
CORONATA.

*Anno à Partu Virginis Immaculatæ Conceptæ* 1688.
SVPERIORVM PERMISSV.

Hortus concluſus, Soror mea Sponſa.
Egrediamur in Hortum noſtrum.
Flores apparuerunt in terra noſtra,
Tempus putationis aduenit.

## P R O S A.

SAlue DEI Sacra Parens,
Flos de ſpinis, ſpinâ carens,
Flos Spineti gloria.
Nos Spinetum, nos peccati
Spinâ ſumus cruentati;
Sed Tu ſpinæ neſcia.
Porta clauſa, Fons Hortorum,
Cella Cuſtos Vnguentorum,
Cella pigmentaria.
Florem præfers ſingularem,
Nec in terris habes parem,
Nec in cæli Curia.
Tu candoris, & decoris,
Tu dulcoris & odoris,
Habes plenitudinem.

# LILIORVM
## ÆTERNÆ VIRGINITATIS,
amœnissimæ Conualli;
*trîtici Vallato aceruo liliis,*
ex quo Panis Angelorum prodijt,
## PRIMO
inter puras Creaturas,
*ex meritorum Christi sanguinea Messe,*
Orbis Redempti
## MANIPVLO,
puritatis post DEUM, & innocentiæ
inscrutabili ABYSSO,
*absq; labe originalis peccati Conceptæ*
## DEIPARÆ VIRGINI
## MARIÆ,
Dedicatorium hoc, ex puris Iambis tributum,
*prouolutus ad Sacratißimas Dominæ suæ plantas,*
Vatum minimus, Servorum indignissimus,
D. C. q;

MEdulla Virgo puritatis vnica,
Ocellus unus, una gemma gratiæ,
Minor Tonante Mater vna maximo,
Tibi dicata lilijs nitentibus,
Tributa pendo, lecta vallis ex tuæ

Amœnitate, falcibusq; cándida,
Favente messe. Mesis hæc Seraphicá,
Fragrans, beata, digna Matre Numinis,
Eburna Mesis, invidenda nonnisi
Tuis Auerne sordidis mapalibus,
Labore uenit omnium pijssimo;
Honos triumphet ut tuus perenniter,
Originalis absq; labe criminis
Virago nata. tanta nempè debuit
In Orbe Mater, una sola concipi;
Procul reatu, & innocens Origine;
DEUM tulêre cujus alma viscera.
MARIA Concha. gemmeus sed Vnio,
In hac inæstimabilis latet DEUS.
MARIA planta; germen ejus, & Patris
Idem est DEI, medulla cordis illius.
MARIA vitis; at botrus Cypri, madens
Cruore IESUS in Crucis patibulo.
MARIA Sidus; ante Solis aureum
Micat quod essedum; sed ipse Sol DEUS.
MARIA Regis est thronus, Salomon hoc
Sed æviternus in throno sedet DEUS.
Sit ergo Concha, Planta, vitis; aurea
Sit ergo stella Solis, & thronus DEI,
Eburq;, nixq;, luxq; sit merissima;
Sit vniuersa post DEUMq; puritas;
Sit omnis una, purior sed Angelis
MARIA Messis & corona gratiæ.

Tri-

Tributa Messis istius, fero Tibi
Benigna Mater; ac amabilis Deo,
Abyssus vna sanctitatis, ac mare.
Seraphin istud, & tuus Minorita
Opus parauit; à Deo quod Angelus,
Aue locutus, ante dixerat Tibi.
Ego secutus en tuum Seraphinum,
Quod hîc jubente lege carminum ligo,
Ad alta sterno gloriæ tuæ juga.
Licet maligna, spurca, fecit hoc manus!
Sed o Columba! lota fonte lacteo,
Pudica Mater, & Virago germinans,
Quod hîc scatebra fœda nostra polluit;
Tuæ lauato fontis innocentiæ
Purâ scatebrâ; & in sinu tuo loca.
Vt ista liliata Messis, in sinu
Dei quiescat, & per omne seculum
Sonet, triumphet ortus innocens tuus;
Tuumq; pandat, ut reo mihi sinum;
Gemens quod opto, lachrymisq; postulo,
Egensq; lucis, indigensq; gratiæ,
Abyssus, horror, & vorago criminum.

*Nota benè deuote Lector, tot in his Messibus futura Anagrammata, quot sunt literæ in integra Salutatione Angelica; scilicet* C.L.V.I.I.I. *Ex quibus, in fine tanquam ex flosculis, per Messes Collectis; & in secunda parte, in Fasces, & Aceruos dispositis, Sertum Immaculato impono Capiti Virginis Beatissimæ. Divido autem hæc Anagrammata, in quinq; Messes, honori Nominis* Mariæ; *à cujus literis exordior vnamquamq; Messem; sic, ut lecto primo Anagrammate Messis, idem initialibus literis, cujusq; Anagrammatis Parostihicè legere sit.*

Ex

# E X
# PROGRAMMATE,

*Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum,*

Liliorum Anagrammatica

# MESSIS I.

## Acrostichicè Dispositâ.

### *ANAGRAMMA I.*

Mira aula pia, cara detegit nomen suum.
In Eua Matre Dei, purgata omnis macula.
Rego Dei viam, Parens natu Immaculata.
Aurora sum, Pane cæli ut gemma nitida.
Aperi Deo sinum, aut regna Immaculata.
Virgo Dei, manet pura, sanè Immaculata.
Luem innatam ademi, Virago purè casta.
Amata gemma, vni sit, vni Deo, clarè pura.
Pura es vni Deo, Agni Mater Immaculata.
Iris Magna Deo, tota præueni maculam.
Agno electa sum, vi pura, etiam amanda.
Cantemus largè (piè mando) viuat Maria.
Agna Dei amor, manet spiraculum vitæ.
Regina Immaculata, præsta nudè viam.
Adame, negatur macula poni Matri Iesu.
Dulcis Virgo, perennè amata, ama vitam.
En jam Virgo eruit à casu, en dat palmam.
Te Deum Virgo pariam, nata sine macula.

Ego

Ego Mater Dei? Tu nam vnica pura à malis.
Genui Deum porta clauſa, mirè animata.
In ſe pura Virgo Dea, manet Immaculata.
Terra mota ſine macula, paui Agnum Dei.
Nega ſimplicitèr Euam, o munda aurata.
O tandem Regina Iesu, pura Immaculata.
Magna apis, dominatur veteri maculæ.
Eua per me ſignati tori, munda à macula.
Niuea parata, Magni Mater, luſi cum Deo.
Summi Dei, verè pura, Agna intacta malo.
Vt igni àér Deo es, tàm pura Immaculata.
Vnam Agni lectam, me Diuè paraui Sator.
More pueri Agni, intacta ſum, vale Adame.

# MESSIS II.

## ANAGRAMMA XXXII.

Angelicè pura ſum, ita ajo Mater munda.
Naturæ Magni, jam dulcè prouiſa meta.
Gnate mi Deus, à Te pura animor, i macula.
Ego Deipara, mare intactum, malus naui.
Lucet Deo ignita Ara, anima ſummè pura.
Immaculata Virgo, Dea, nam Parens Vitæ.
Cæli Agna, inde ore tuum paris amatum,
En ego minima ſum, at pura, clara ut Idea.
Pereat macula, à Virgine data in ſummo.
Viripara ſine macula, de me magno tuta.
Regina parui mundi ſum, ac ea almè tota.
Amicta Sole, Tu jam regna, nam Diuè pura.

Saluo pium Agnum Arca Dei Intemerata.
Vna Mater culpam Adæ ignorat, mi Iesu.
Meritò vita digna es, nam pura à macula.
Iam ut ſecunda Eua, ignorat prima mala.
Turpi à macula; iſ Agni una merè modeſta;
Agnam piam omni jure, ſeu laude tracta.
Agna Dei Mater Laureata, vincis pomum.
In varijs tu roga, cape, tene, Almum Adam.
Ornatam manu Dei, puram eligite à caſu.
Manna ſum Dei pia, ergo à Te ruit macula.
Agnam te Trias priuo macula, dein Euam.
Te das auram in igne, o purè Immaculata.
En Virago Dei alma, intacta, ſummè pura.
Rutilas pia Eua, immò Agna, certè munda.
Manſit pura Dei Agno verè Immaculata.
Vnio Deum Regia Parens, at Immaculata.
Niuea ſumma Patre Cæli, matura digna.
Dum micat Sol in pura Eua, regnat anima.
A me Dea ruit Anguis, terna macula pomi.

# MESSIS III.

## *ANAGRAMMA LXIII.*

Ritè pura, ea ſumma, venit digna calamo.
I agna, manu Dei ſui Mater porta cælum.
Te Dei Agna, vocamus puram lineam arti.
Euæ Adam inſignite parco, ruat malum.
Pro Te manus veri Dei, Agna Immaculata.
Verè Domina ſum, mali ignara, pace tuta.

Regi-

Regina mundata ſaluata, reijce pomum.
Adora jam genitum, pura & ſine macula.
Equa ſum lota Regina, ac pia mundi Mater.
Aura Cæli rapta, tam ſummè digna veni.
Sana me regno Dei via, pura, Immaculata.
Veni amore digna, ſummi Ara, aptè culta.
Mater vna Virgo Dea, ſta culpæ immani.
Me Deum, Agna canet, limo pura via artis.
Adami putre malum, tego in vi, ſanè cara.
Vinetum è partu Agni, cares malo Adami.
En Virgo tam mirè munda, ſalva à capite.
Nudè caput mali Eva, Mater Agni Amoris.
In via Agno Mater, deſuper Immaculata.
Tam ſanè it à macula, nam Virgo purè Dei.
Dei Agno Tu es, para Te, nimirùm à macula.
Implicitè negas Eua Adamum, o naturam.
Gemma purè intacta manu Adæ livoris.
Nata Mater laus Regi, i ſ neca pomum Diva.
Agna mi pia, ſic maturè mundo revelata.
Clarè pura, magè Diua, nam jam es in tuto.
Adami è macula gemitu, non ſit rea pura.
Ligo Deum Sirenâ, tam pura, unicè amata.
Amarè Nati nauigámus; duce Matre Poli.
Mater ſum Magni Adæ, ac purè Inuiolata.
Operum Dei regnas, Nativa Immaculata.

# MESSIS IV.

## ANAGRAMMA XCIV.

Iam Tu mi amor, una pura, de lege ſic nata.
Almi pura gemma, venit ad nos via recta.
Mare purum Dei, Agna IEsu malo intacta.
Tu Deipara; & Agna ſine macula, o ( mirùm !(
Vi mota macula, regat me Parens Divina.
Me purè Sanctam Agni, vi lauda, ora, time.
Inclyta Eva pura Adamo; ſummè regnat.
Auerti actu Agna, pro me, manus Almi Dei.
Maculam negat vita Dei, nam ſeriò pura.
Omi Agna manuum Dei, puritate clara es.
Re à reatu omni munda, pia, luceat magis.
Venit Agna ſummi Dei, cara, & pura malo.
Nonſcit mala viæ, pura gemma, ter Diua.
Aſe en natam Vitam, dulcè pariam Virgo.
Prima ſum in Regno Dei, ea tuta à macula.
Virgulta, Dei amore capta, immunè ſana.
Regna Tu armis vna, ope Dei Immaculata.
Adigna Matre puri IEsu, en mota macula.
Diuè pura Mater es, in Agnó Immaculata.
En virtus Dei ea magna, pro Immaculata.
Luce noui Adam, re ignita, ſummè parata.
En uim à Te pia, Alma Agna, turris cum Deo.
Genita, à parte rei munda ſum, i ( o maculâ.
En artis gero Deum, una pia Immaculata.
Salve mi pia munda, vocata Mater Regni.

Iuſta,

Iusta, pura Deo, regna in me Immaculata.
Cum Deo nata, alma pura, en erigis vitam.
Natis Dei, Agna ait, verè maculam rumpo.
Almè si Nata Virgo, jam purè nacta Deum.
Tu Iesu Regina, nam pura, nec i malo Adam.
Agna niue purior, meta sed Immaculata.

# MESSIS V.

## ANAGRAMMA CXXV.

Agna es, inde pura, juro Te Immaculatam.
Genero virum pacis, almè ait ut amanda.
Nimis puram eam edocet, lingua aurata.
Animata sine macula, paret Virgo Deum.
En ritè pura sum Agna, ideò Immaculata.
Sum Nato dignè pia, reuera Immaculata.
Iam educ Mater pia, erga nos lumina tua.
Nescit veniam mali, grata Eòá dum pura.
Dei sum Regina intacta, væ rumpo mala.
Ergo vidi pura es, mi nata, ante maculam.
Pestem vici, alma & munda, Virga Aaron.
Vera Agna sic Nata, immolat puerum Dei.
Ramus de vinea Agni, Immaculato Patre.
Agni Mater Immaculata, una Deo è puris.
I en gemma sinu trito Adæ, pura à macula.
Vna vni Virgo Mater, lampas, ac meta Dei.
Re Tu ignita me pura, à macula dæmonis.
O mundi puritas, jam ea lucet mera Agna.
Ter pura vna summi Dei, ei cognata alma.

Euge pura anima, mira & alta cum donis.
Iam pura retenta sum, Agno Dei, is macula.
Maneat re Virgo, sit piè munda à macula.
Mane vt Rosa Dei Agni, purè Immaculata.
Aperias Regnum Dei, tuta à macula omni.
Candore Iesu magna, ii Tu nam almè pura.
Virgo me tanti pura, nescia Adæ malum.
Lucet jam Nata Agna, ore summi Dei pura.
Adsum en reo turpi, ea Immaculata Agni.
Tegas in vi Arca Noe, turpe malum Adami.
Agnam Matrem sine Patre, audi Ouicula.
Mater pudica nam Virgo, en sat jam, Vale.

## *JESUS, MARIA, JOSEPH.*

## Anagrammatum supra enumeratorum,

*Epigrammaticè illustratorum*,

# MESSIS I.

## *ANAGRAMMA I.*

*Mira, aula, pia, cara, detegit nomen suum.*

NOmen ab æterno latuit, quo diceret Orbis,
Hæc est in terris, porta parata Deo.
Sola reuelauit Conceptio pura Mariæ,
Quæ *Pia*, quæ *Mira* est, *Aulaq́* cara Dei.
Si dubitas? carnis roseo quod murice texit,
In verbo, *Nomen Detegit* illa *Suum*.

II.

*In Eua Matre Dei, purgata omnis macula.*

Eua Parens hominum, maculam tunc nesciit omnem,
Diuina fuerat quando creata manu.
In maculam cecidit, Stygias inducta per artes,
Peccatiq; jugum traxit in omne genus.
Sed *Purgata* fuit tandem *Macula* omnis, *In Eua*
*Matre Dei*, lapsus nescia quando fuit.

III.

*Rego Dei Viam, Parens natu Immaculata.*

ERrauit mortale genus, primamq; reliquit;
Debuit in cælos, quam tenuisse viam.
Hæc via justa Dei, sanctæ via pura salutis
Puro conceptu, sola relicta mihi.
Hinc *Rego* sola *Dei*, noscoq; *Viam*; quia *Natu*
Iui sola per hanc, *Immaculata Parens.*

IV.

*Aurora Sum Pane cæli ut gemma nitida.*

PAnis de Cælo, qui lucida sidera reddit;
Gemmarum per quem, claret in Orbe nitor;
Filius hic meus est; genui quem pura Virago;
Hic Panis Cæli, Vitaq; Luxq; mihi.
*Pane* igitur *Cæli* radians *Aurora* corusco;
*Vt Nitida* exoriens, *Sum* quia *Gemma* poli.

V.

*Aperi Deo sinum, aut regna Immaculata.*

COr Patris æterni, Natum quod dulcè moretur;
Expectata diu, gaudia quodq; neget;

Hoc facit ille sinus, tantam qui claudit abyssum;
Cum Patre, quo Nati deliciatur amor.
Fac *Aperi* tu pura *Deo*, cor dulce; *Sinumq;*
*Aut Regna*, aut trahe cor *Immaculata* Dei.

V I.

*Virgo Dei manet pura sanè immaculata.*

QVæsita est Mater, Divino germine digna;
Quæ pareret salua Virginitate Deum.
Vnica præ cunctis, pura est inuenta Maria;
Quæ fæcunda Parens, *Virgo Deiq; Manet.*
*Sanè Pura* Dei, sine crimine Mater ut esset;
Sortita est ortus, *Immaculata* suos.

V I I.

*Luem innatam, ademi Virago purè casta.*

GRatia fecit opus, dum primum plasma creauit;
Innatus fuerat, cuî sine labe decor.
Eua luem innatam, mortalibus intulit eheu!
Hinc purè dici, casta Virago nequit.
Virgo *Luem Innatam*, culpæ mortalis *Ademi*,
Sola igitur *Purè Casta Virago fui.*

V I I I.

*Amata gemma vni sit, vni Deo purè clara.*

QVas animas, Diuinus amor, sibi deligit vni;
Communes gemmas pluribus esse negat.
Gemma quidem, sed amata Stygi fuit Eua; nec Vni
Seruauit Domino, pectora fida suo.
*Vni* cum *Sit Amata* Deo, Sacra *Gemma* Maria;
Hæc *Vni Purè*, sit quoq; *Clara Deo.*

I X.

I X.

*Pura es, Vni Deo, Agni Mater immaculata.*

Diuinis oculis quàm ſis pulcherrima Virgo
Nemo capit, niſi quem concipiendo capis.
*Vni Pura Deo* es, ſatis hoc; nam ſufficit vnus
Qui novit. quam ſis immaculata Deus.
*Agni* tu *Mater*, puriſsima es *Immaculati*;
Sic decuit naſci, ſic genuiſſe Deum.

X.

*Iris Magna Deo, tuta præueni maculam.*

NVminis irati Nemeſis iuſtiſsima, totum
Funereis Orbem, dum tumularet aquis;
Iris nulla fuit, nimias quæ ſiſteret undas;
Cuncta ſed in vaſto gurgite, Pontus erant.
*Iris* ego ſum *Magna Deo*, quia criminis expers
*Præueni maculam, Tuta* parentis Adæ.

X I.

*Agno electa ſum, ut pura, etiam amanda.*

QVid dubitas? de me puriſsima cuncta fateri;
Si mihi perfectus, ſtat ſine labe decor;
*Agno Electa* Deo, dederam ſi vellera carnis?
Quidni *Etiam* Mater, *Sum* quoq; *Amanda* nimis?
*Pura* Deum genui, ſacra *Vt* Flaminis Almi;
Ortus ergo meos, quid ſine labe ſtupes?

X I I.

*Cantemus largè (piè mando) viuat Maria.*

BArbita læta ſonent, reſonet Parnaſsia rupes,
Subſiliat motis, fons Heliconis aquis,

Pindus amor Vatum, Phæbæaq; tota voluptas
Hùc eat, hùc dulces vos, ego posco lyræ.
*Cantemus Largè*, sic vates *Mando*, *Pièq;*
Ore Dei, *Viuat* digna *Maria* cani.

XIII.

*Agna Dei amor, manet spiraculum vitæ.*

AVgustal vitale Deo, quæ præbuit inter
Mortales, o quam prodigiosa fuit!
Agna Dei Mater! quàm puro fonte rigata!
De qua, in carne venit pura scatebra Deus.
*Agna Dei* vitalis *Amor*, *Spiraculum* in illa
Nonnè *Manet Vitæ!* cum Deus ipse manet.

XIV.

*Regina Immaculata præsta nudè viam.*

AD nos de cælis, primo via clausa reatu,
Verbo Diuino, dulce negavit iter.
Plaudite mortales, ego primæ nescia culpæ,
Hos Virgo refero, iam sine labe gradus.
O *Regina!* Deo tu *Nudè* labe carentem,
*Præsta* de cælis, *Immaculata viam!*

XV.

*Adame? negatur macula poni Matri Iesu.*

QVid gemis? in lachrymis quid lumina mergis Adame?
Omnes nos tecum, cùm cecidisse doles.
Pone modum lachrymis; Deus est pietatis abyssus;
Est Virgo, à lapsu libera facta tuo.
En *Matri Iesu Poni Macula* ulla *Negatur*,
Solamen luctus, hæc sit *Adame* tui.

XVI.

XVI.

*Dulcis Virgo, perennè amata, ama Vitam.*

MOrs animæ culpa eſt; ſed fons eſt gratia vitæ;
Qui peccat, diræ vulnera mortis amat.
Dilexêre homines mortem, lethalibus eſcis
Dum volupè eſt paſci, dum placet inde mori.
Tu *Dulcis Virgo*, fueras quia *Amata Perennè*;
Primæuæ *Vitam* neſcia labis *Ama*.

XVII.

*En iam Virgo eruit, à caſu en dat Palmam.*

ERipuit palmam mortalibus, abſtulit omne
Innocui cordis, Styx violenta decus.
Corruimus victi, caſu defecimus vno;
Deq; triumphatis, mors gravis io canit.
*En Virgo à Caſu Iam* victos *Eruit* orco,
*En Palmam* rapit hæc, o homo! *Datq;* tibi.

XVIII.

*Te Deum Virgo pariam, nata ſine maculâ.*

ME tibi ſi puram, Ieſu puriſsime Matrem
Æterni Verbo Numinis eſſe iubes;
Quid mihi cum macula? quam deteſtaris, & arces?
Quæ tibi, plùs omni diſplicet vna malo.
Vt *Te Virgo Deum Pariam; Macula Sine Nata*,
Debebo tantæ Matris honore frui.

XIX.

*Ego Mater Dei, tu nam Vnica pura à malis.*

COntactu minimo, me tangere noxa Parentum
Haud potuit; cauſa hæc omnibus vna ſatis;

*Mater Ego* ſum pura *Dei.* ſic credimus, & te
Orbis in illæſa Virginitate ſtupet.
Te ſummum genuiſſe bonum decet. *Vnica Nam Tu,*
A cunctis fueras, *Puraq;* tota *Malis.*

XX.

*Genui Deum, porta clauſa, mirè animata.*

AD portam Cherub Paradyſi, flammea torquens
Tela manu, removet criminis inde reos.
Ad portam, quæ clauſa Deo, ſua viſcera pandit;
Peruigil hic cuſtos, excubat ipſe Deus.
*Porta* ego ſum talis Virgo; quæ *Clauſa* recepi,
Et *Genui* ſummum, *Mirè Animata Deum.*

XXI.

*In ſe pura Virgo Dea, manet Immaculata.*

TRaximus ex culpa næuum, quo reddimur omnes
Communi paſsim gens vitiata malo,
Concipimur ſervi ſcelerum, vinctiq; reatu;
Impuri nemo ex ſemine purus Adæ.
*In Se* ſola Maria nitet *Dea, Puraq; Virgo,*
Æternùmq; Parens *Immaculata Manet.*

XXII.

*Terra mota ſine macula, paui Agnum Dei.*

MElliflui facti cæli, dulcedine tota
Cùm diſtillarent dona ſuperna mihi,
Concipiebar ego, Divinis fructibus apta,
*Terra* ſalutari germine grata Deo.
*Mota* fui ex vtero *Macula Sine*; ſic ego *Paui*
*Agnum* Virgineo nectare, terra *Dei.*

XXIII.

XXIII.

*Nega ſimpliciter* EUAM, *o! munda aurata.*

VAs maculæ facta eſt, poſt lapſum criminis Eua;
Ante omnem lapſum, vas Deitatis eras,
O electa Deo! oiam præſervata Maria,
A macula culpæ, quam tulit Eua Parens.
*Euam Simpliciter* peccaſſe *Nega* proin in te,
*O Aurata* Dei, totaq; *Munda* Domus!

XXIV.

*O! tandem Regina* IESU, *pura Immaculata.*

REgia Sceptra tibi Virgo benedicta parantur;
Æterni Solium, tu Salomonis eris.
Maieſtas animæ te poſcit maxima. nam te
Rex Regum, Matrem poſcit habere ſuam.
*Pura* veni *Jeſu Tandem Regina,* Parenſq;;
Regalem vt capias, *Immaculata* thronum.

XXV.

*Magna apis, dominatur ueteri maculæ.*

SPicula ſæua Stygis, blando perfuſa veneno,
Tartareus dulcem cùm draco fingit apem,
Infixit labijs, primæ cordiq; Parentis.
*Agni* ſed *Mater* pura Virago Dei,
Cùm *Veteri Maculæ Dominatur,* Tartara pungit
*Magnaq;* Virgo Stygi, ſpicula figit *Apis.*

XXVI.

*Eua per me ſignati tori, munda à macula.*

INnocuæ mentis caruit dum labe dolenda,
Caſta maritales, neſcijt Eua toros.

Peccato violata dein, ſignacula fregit;
Erubuit poſtquam, ſerus in Orbe pudor.
*Eua Tori Per Me Signati* gaudeo; *Munda*
*A Macula* quia ſum, neſcia Virgo tori.

XXVII.

*Niuea parata, Magni Mater, luſi cum Deo.*

Cùm necdum ſtarent, terrarum cardine fixo,
Cuncta Creatoris, facta creata manu;
Cùm lex certa Dei, necdum firmaſſet abyſſos;
Iam *Niuea*, in ſummi mente *Parata* Dei,
*Mater* ego fueram, *Magni* puriſsima Verbi;
*Cumq; Deo Luſi*, tota decora meo.

XXVIII.

*Summi Dei, verè pura, Agna intacta malo.*

PRæ cunctis, armenta decent lectiſsima Reges;
Sunt quibus eximio paſcua digna grege.
*Agna Dei Summi, Verè* ſit *Pura* neceſſe eſt,
Electi Princeps quæ fuit Agna gregis.
Hæc *Intacta Malo*, culpam neſciuit in ortu;
Nam Deitatis ei paſcua, ſemper erant.

XXIX,

*Ut igni àër. Deo es tàm pura Immaculata.*

AEra purificat flammis ardentibus ignis,
Nec ſinit vt putri ſæuiat ille malo.
Ignis conſumens Deus eſt. num labe Parentum
Ortus non potuit purificaſſe tuos?
*Aer Vt* excoctus, claro ſit purior *Igni*.
*Tam Pura Es* Virgo, ac *Immaculata Deo*.

XXX.

XXX.

*Vnam Agni lectam, me Diuè paraui Sator.*

IN mundum veniens, immenso tactus amore,
Nube sub humana, dum latuisse placet;
Tramite Virgineo, vestigia pura salutis
Vt facerem, purus me meus vrsit amor.
*Vnam Agni Lectam*, mihi quàm *Sator* ipse *Paraui*
Debuit hæc *Diuè Me* genuisse *Parens*.

XXXI.

*More pueri Agni, intacta sum, vale Adam.*

AGnum Diuinum, gestaui viscere casto;
Ipse mihi dulcis Natus, & Agnus erat.
Hæc ego sum Mater, primæuæ nescia culpæ;
*Agni* quæ *Pueri More*, decora fui.
*Sumq́* Parens *Intacta Malo*; tu criminis author
O *Adam* fueras, iam tibi dico *Vale*.

# MESSIS II.

XXXII.

*Angelicè pura sùm, ita aio Mater munda.*

QVæ pro parte Dei steterant, fortissima cæli
Agmina, Lucifero castra inimica Duci,
Nescia labis erant. quid de me sentiat Orbis?
Quæ coniuncta Deo, semper amica fui.
*Angelicè* sum *Pura* Dei, *Sum Mundaq́ Mater*
*Aio Ita*, sumq; choris purior Angelicis.

XXXIII.

*Natura Magni, iam dulcè prouisa meta.*

Natu-

NAturâ Deus eſt puriſsimus, omneq; purum
Diligit, electis dans ſine labe decus.
Omnibus electis maior puriſsima Virgo;
Quæ puri fontis, pura ſcatebra fuit.
*Naturæ Prouiſa* Dei, fuerat quia *Magni*;
*Iâm Dulcè* eſt puræ *Meta* beata viæ.

XXXIV.

*Gnate mi Deus, à te pura animor, i macula.*

FLos animæ, candorq; mihi puriſsimus ex te,
O Iesu quod ſit ( tu mea vita probas.
Spiritus hic, quo vita mihi, quo gratia conſtat;
O mi *Gnate Deus* ( Spiritus hic Tuus eſt.
*A Te* igitur ſi *Pura Animor*, ſi Spiritus in me
Nate tuus vivit, iam procul. *I Macula.*

XXXV.

*Ego Deipara, mare intactum, malus naui.*

FLuctibus in medijs, dum totus nauigat Orbis;
Peccati ſcopulo, non caret ille gravi.
Culpa mare hoc tetigit; quæ me non læſit; ut eſſem
*Intactum* vitijs Virgo Maria *Mare.*
Virgo, *Deiq; Parens*, *Ego* ſummè, ſed mare purum,
In *Naviq;* mea, gratia *Maius* erat.

XXXVI.

*Lucet Deo ignita Ara, anima ſummè pura.*

DIuinis oculis, gratiſsima victima cordis,
Puraq; quæ ſacris, ignibus Ara calet.
Impuros ignes animæ, Deus odit, & arcet.
Hinc puram Matrem, condidit ipſe ſibi.

Hæc

Hæc *Ignita Deo lucet*, velut *Ara* ſalutis;
Hæc *Anima ſummè Pura*, carenſq; nota.

XXXVII.

*Immaculata Virgo Dea, nam Parens vitæ.*

ESte procul ritus veteres, ſenſusq; prophani;
Queîs plures fuerat mos, coluiſſe Deos.
Vna fides nobis, vnam Deitatis Abyſſum
Fecit adorandam. cætera turba nihil.
Sola Dei Mater, *Virgo* ſacra, ceu *Dea* quædam eſt;
*Nam vitæ* facta eſt, *Immaculata Parens*.

XXXVIII.

*Cœli Agna, indè ore tuum paris amatum.*

ARdua res Virgo eſt, quam de te concipit Orbis;
Quando te prima concipit abſq; nota.
*Agna* Dei, *An Cœli* ſis neſcio; Mater vtrumq;
Hoc ſcio, quod teneas, Virgoq; pura decus.
Tam ſanctè, caſtèq; *Tuum* cùm gignis *Amatum*;
*Indè* eſt, quod IESUM tu velut *ore Paris*.

XXXIX.

*En ego minima ſum, at pura, clara ut Idea.*

MAximus in minimis Deus eſt, qui cuncta creavit;
In minimiſq; libens, maxima dona locat.
Ancillam me dixi humilem, minimamq; ; ſed ille
Ancillam voluit, Matris honore frui.
*En ego ſum minima*; *At* per te ſum maxima IESU;
*Puraq; Claraq;* ſum, *vt* mentis *Idea* tuæ.

XL.

*Pereat macula, à Virgine data in ſummo.*

QVod datur in summo, perfectum, nobile, sanctum
Vt sit, & vt careat labe, notaq; decet.
Si Deus in summo, potuit sibi condere Matrem;
Quis neget? in summo pura quod illa fuit.
Ergò *A* Matre Dei, *Pereat macula* omnis, & absit;
*In summoq; Data Virgine*, noxa procul.

XLI.

*Viripara sine macula, de me magno tuta.*

NEscia Virgo viri, genui tamen ordine miro,
Carne sub humana, casta puella Deum.
Mystica res hæc est, magno signata, latensq;
Arcano; quod sim Virgo, Parensq; simul.
Secreto hoc *Magno* sum *Tuta Viripara, de me*
Quod *sine* sit *macula*, natus Homo, atq; Deus.

XLII.

*Regina parui mundi sum, ac ea almè tota.*

IN tanta rerum serie, vastissima mundi
Machina, Diuino munere quidquid habet,
Paruus homo mundus, totum complectitur in se;
Cûi subiecta dedit, cuncta creata Deus.
Huius ego *Parui Mundi*, sine labe Parentum,
*Almè Sum Regina, ac ea tota* nitens.

XLIII.

*Amicta Sole tu iam regna, nam diuè pura.*

AD Regis Regum dextram, consistere visa,
Ex auro ducta veste, Maria nites.
Mox & Sole tibi Regalis fulget amictus;
Vndiq; te cingit lux mera, Solq; merus.

Ergô *Sole* tuo, *iam Regna* Mater *Amicta*;
*Tu Pura* es *Diuè*, *nam* capis una Deum.

XLIV.

*Saluo pium Agnum, Arca Dei intemerata.*

MOrte Redemptoris, quoniam ſum prima redempta;
Prima mihi per eum, ſtat quoq; parta ſalus.
Sanguine ſum cujus mundataq;, lotaq; tota;
Agnum nunc Mater, quomodò ſaluo pium?
*Agnum ſaluo Pium*, communi quando ſaluti
*Arca Dei* Natum, non *Temerata* fero.

XLV.

*Vna Mater culpam Adæ ignorat, mi Ieſu.*

PHœnix Aſſyriis notiſsimus ales in oris,
Cûi rogus, eſt vitæ, fons & origo novæ.
Conceptus alijs ſimiles, quia neſcit, & ortus;
Alituum proin eſt vnicus, abſq; pari.
Hinc *Culpam* ſi *Ignorat Adæ*, tua *Mater* in ortu
Phœnix, *mi Ieſu*, non habet *vna* parem.

XLVI.

*Meritò vita digna es, nam pura à macula.*

INdignus vita eſt, qui fœdat crimine vitam;
Gratia fons vitæ, culpaq; mors animæ eſt.
Immeritò vivit, meriti qui tempus, in omnem
Præcipitat maculam, factaq; mortis amat.
Innocua *Meritò* tu *vita es Digna* Virago
Vita animæ, *à Macula*; *nam* tibi *Pura* fuit.

XLVII.

*Iam ut ſecunda Eua, ignorat prima mala.*

SCire malum cupiens, didicit mala, perdidit O. bem
Eua tot amissis, heu malèsana bonis?
Labe, maloq; procul; purè Concepta Maria
Vnum sola cupit, scire, & amare Deum.
*Iam* quæ sola Deum cognovit, *ut Eua secunda*;
*Ignorat* iustè *Prima* proindè *mala*.

XLVIII.

*Turpi à macula, i! Agni una merè modesta.*

PErdidit inflatas exosa superbia mentes,
Subdita cum iussis, noluit esse Dei.
Casta verecundi sublata modestia vultus,
In turpem quando, non pudet ire notam.
*A turpi Macula* procul *I*, purissima Virgo;
*Agni* tu Genitrix, *una Modesta merè* es.

XLIX.

*Agnam piam omni iure, seu laude tracta.*

AGno cælesti, qui Natus Virgine Matre,
Humanæ labis, morte piauit opus,
Si placuisse libet, meritas si reddere grates,
Lucrariq; animæ, cælica dona placet;
*Omni iure Piam Tracta*, *seu* tollito *Laude*
*Agnam*; Christo Agno sic benè carus eris.

L.

*Agna Dei Mater* LAUREATA, *vincis pomum.*

Humani generis trophæa, palmæ
Victrices, trabeæq; laureatæ
Manant sanguine, gentiumq; constant
Sævis cladibus. at modesta virtus

Ferro

Ferro non agit, aut manu cruenta;
Dulcis moribus, innocensq; vitâ
Miti pectore laureas meretur.
Sic vicisse tibi Stygem superbam
Mansuetudine cordis, ad stuporem
Concessum, AGNA DEI innocens Maria.
Victa est Eua Parens, manu rebelli
Dum carpit vetiti dolenda pomi
Heu bellaria, ferculumq; mortis!
Debentur tibi mille sed triumphi
O Victrix maculæ! Deumq; digna
Virgo gignere, quando sola VINCIS
POMUM criminis, & refers triumphum
Vinci nescia, LAUREATA Mater.

LI.

*In variis tu roga, cape, tene Almum Adam.*

VNum culpa malum, vetitis ex fructibus ortum,
Sed dedit innumeris, ostia mille malis.
Hæc mala, ne vindex Nemesis Divina flagellet;
Ne graue nos, cæli pondus ab axe premat;
*In variis tu* pura malis *Cape*, quæso *Rogaq;*
*Almum* Mater *Adam*, Virgo *Teneq;* tuum.

LII.

*Ornatam manu Dei, puram eligite à casu.*

SVdet in ornandis Regum Consortibus, omne
Persarum gemmis, Assyriumq; decus.
Sumptibus his æui cuiusuis, ast ego parcam,
Nec mihi cuncta Orbis dona, ligate manus.

*Eligite à casu Puram*, mortalia corda;
Namq; *Manu Ornatam*, sufficit esse *Dei*.

LIII.

*Manna Sum Dei, pia ergo à te ruit macula.*

IEssiadûm populo, cibus æthere missus ab alto;
Angelici Panis nomine, manna fuit.
*Manna Dei* quoq; *Sum*; dulcem mortalibus escam,
Angelicum Panem, nam benedicta tuli.
Manna Dei cùm sis, *macula* ortus o *pia* Virgo!
*A te* Pane dato cælitùs, *ergo ruit*.

LIV.

*Agnam Te Trias priuo maculâ, dein Euam.*

IN Dominam cecidit labes, dum facta rebellis
Eua Deo, serua est, facta pudenda Stygis.
Submittit vero Domino, Triadiq; Beatæ,
Sed cùm dilectum Virgo beata caput;
*Agnam te priuo Maculâ, Trias* inquit, & *Euam*
Propter te, veteri crimine priuo *dein*.

LV.

*Te das auram in igne, ò purè immaculata.*

ÆStuat heu quoties, iusti vindicta caloris,
Vltor dum culpæ, fulminat igne Deus;
Non est qui lenem, succensis ignibus auram
Aspiret; cunctos crimina nempè gravant.
*Auram* Diuino *Te Das*, o Mater! *in igne*,
*Purè* cùm placeas *Immaculata Deo*.

LVI.

*En Virago Dei alma, intacta summè pura.*

Vir-

VIrginei floris, ſi quæ tulit inclyta mundus
Nomina, candoris quæ placuêre niue,
Innocuo cum Matre Dei, collata pudore,
A tanta quàm ſunt Virginitate procul!
*En intacta Dei* præ cunctis *alma Virago*,
*Summè Pura*, nihil par nive mentis habet.

LVII.

*Rutilas pia Eva, immò Agna, certè munda.*

PRo tenebris, quas Eua dedit, dum ſuſtulit eheu
Ex anima, primi luminis omne iubar!
Redderet ut lucem, tua nobis gratia Virgo,
Ortu conciperis lucida tota tuo.
Sic *Rutilas* o *Eua pia! immò munda*, ſecundum
*Agna* paris *certè*, tu noua Mater Adam.

LVIII.

*Manſit pura Dei Agno, verè immaculata.*

DVm mortale genus caderet, primoq; reatu
Infectum, culpæ ſubdita colla daret;
Præſeruata Dei Mater, cum ſorte cadentûm,
Non poterat tanto ſuccubuiſſe malo.
*Agno pura Dei manſit*, nec concidit unquam;
Ortu nam *verè* eſt *Immaculata ſuo*.

LIX.

*Unio Deum Regia Parens, at immaculata.*

SCiſsio peccati res lamentabilis, inter
Mortales pacem ſuſtulit, atq; Deum.
Vnio diſceſsit, nec qui cæleſtia poſset
Iungere terrenis, arbiter vllus erat.

*Vnio*

*Unio* carne *Deum*, sum *Regia* Virgo, *Parensq́*;
*At* cur? nam decus hoc *Immaculata* tuli.

LX.

*Niuea summa Patre cæli, matura digna.*

QVuanta mihi fuerit, puræ Conceptio vitæ,
Ortu quam fuerim lux mera, nixq; mera;
Novit, ab æterno qui me sine labe creari
Decrevit candor, purus amorq́ Dei.
Sum *niuea* ex illo pia sum, *maturaq́* cælo;
*Summa* Deo *cæli*, sum quia *digna Patre*.

LXI.

*Dum micat Sol in pura Eua, regnat anima.*

INfelix heu Eua parens, dum Sole niteret;
Amplexa est tenebras, vmbraq; facta Stygis.
Regnabat, dum pura fuit; sed conscia noxæ
Et luce, & sceptris excidit illa suis.
Iustitiæ nunc *Sol, in Pura dum micat Eua*;
Tunc *anima* illius, *regnat* amica Deo.

LXII.

*A me Dea ruit Anguis, terna macula pomi.*

ORe Deam vapido, qui dixerat esse futuram,
Gustaret vetitos, si priùs ipsa cibos;
Anguis in extremam Stygius cecidisse ruinam
Fecit; cuncta sciens, dum cupit esse Dea.
Cum *Terna pomi macula*, caro, mundus, & *Anguis*
*A me* iure *Dea*, Virgine Matre *ruit*.

MES-

LXIII.

*Ritè pura ea summa, venit digna calamo.*

INgeniosa styli, facundaq; gloria Suadæ,
Viribus eloquij, quidquid in orbe potest;
Tota cohors Vatum, Phæbeaq; nomina quidquid;
Carmine seu scribunt, seu cytharaq; canunt
In summo hîc sudent, vbi *ritè. ea, puraq;* Virgo
*Summa* est; nam *calamo digna, venitq;* Deo.

LXIV.

*I Agna, manu Dei sui Mater porta cælum.*

SVccubuisse polo, quondam cecinêre ferendo
Atlantem, Graiæ carmina prisca lyræ,
Astriger ille Gigas, quod vasta mole nequivit,
Omnipotente Dei, tu potes *Agna manu.*
*I porta cælum*; nam plus in germine casto
Portat, Virgo *Dei Mater* amanda *sui.*

LXV.

*Te Dei Agna, vocamus, puram lineam arti.*

MAchina totius, primò cùm surgeret Orbis,
Omnipotente Dei machina facta manu,
Tantæ molis opus, purissima Virgo fateris,
Te quoq; cum summo composuisse Deo.
*Arti* iure proin, *te puram o Agna vocamus*
*Lineam*, in æterna mente fuisse *Dei.*

LXVI.

*Eua Adam insignitæ parco, ruet malum.*

PRima mihi, culpæ fueras occasio primæ,
Me capiens vetitis, Eua marita cibis.
Sed mihi, restituit Diuinis, *Eua* secunda
Fructibus; amissi dulcia poma boni.
*Adam parco insignitæ, sine labe Mariæ.*
Culpæ insigne *malum*, mox ita nempè *ruet.*

LXVII.

*Pro te manus Veri Dei, Agna immaculata.*

CEntimanos alij poscant; falsasq; Deorum
Herculeas vires, castra Gradiue tua;
Vt benè muniti viuant securiùs, at tu
Humanas, Virgo, non petis vna manus.
Quando *Dei Veri, pro te manus* excubat; an non
*Agna* sub hac viues, *immaculata* manu?

LXVIII.

*Verè Domina sum, mali ignara, pace tuta.*

QVi seruit vitijs, culpâ viuitq; grauatus;
Mancipium viuit, præda dolenda Stygis.
Libera mens, victrixq; mali, pax conscia recti
Est Dominæ titulo, iureq; digna throni.
Hinc ego *sum verè Domina*, & sum Regia Virgo;
Namq; *ignara mali, paceq; tuta* fruor.

LXIX.

*Regina mundata, Saluata, reiice pomum.*

GRatia nos fecit, primæua labe carentes
Agnos, innocua simplicitate probos.
Naturam pomi postquam gustauit amaram,
Agnos peccatum, mox iubet esse lupos.

Tu *Regina* Parens, *Saluataq; reiice pomum*;
Nam *mundata* Agnos, tu facis Agna Deî.

LXX.

*Adora iam genitum, pura, & sine macula.*

EXpectata diu, quod nobis distulit ætas;
Vt fieret Natus, Virgine Matre Deus;
Hoc nobis per te, cælo descendit ab alto,
Impleuitq; suos, mysticus ordo dies.
Ergò *iam genitum*, quem lactas Mater *adora*,
*Et sine* tu *macula*, *puraq;* Virgo Deum.

LXXI.

*Eua sum lota Regina, ac pia mundi Mater.*

MVndi Mater erat; sed mox non munda; reatu
Dum nos immundos reddidit Eua suo.
Hæc eadem Regina fuit; sed fascibus eheu
Amissis, culpæ seruiit illa iugo.
*Eua* ego *sum*, *Regina* sacro sum *lota* cruore,
*Ac pia* sum *mundi Mater*, & alma Dei.

LXXII.

*Aura cæli rapta, tam summè digna veni.*

HOc gemitu nostro, votis hoc omnibus à te
Poscimus, o Virgo iam benedicta veni!
Lux tecum, populisq; salus, & gratia tecum,
Ceu veniat terris, orta serena dies.
*Aura* fauens *Cæli* es, *tam* sancto Flamine *rapta*
*Summè* pura igitur, *digna* Deoq; *veni.*

LXXIII.

*Sana me, Regno Dei via, pura immaculata.*

INfirmor, totiesq́; cado, totiesq́; fatisco,
Conscia mens culpæ, viuere sana nequit.
Nescia peccati, tu verè sana fuisti;
*Sana* igitur *Regno*, *me* pia Virgo *Dei*,
In cælos sis *pura* mihi, quæ Numinis ad nos
De cælo fueras, *immaculata via*.

LXXIV.

*Veni amore digna, summi Ara, aptè culta.*

BAlsama nulla, pari nectar dulcedine spirant;
Purus in exortu, cêu tibi fragrat odor.
Nec tam Diuinis, thus gratum fumat in Aris;
Vt gratum Superis, est thymiama tuum.
*Ara* Dei *summi*, fragrans in origine Virgo,
*Aptè culta* sat es, *dignaq́ amore veni*.

LXXV.

*Mater vna Virgo Dea, sta culpæ immani.*

STa Sol, Iosue Dei magno cum nomine dixit;
Confestim lucis machina tanta stetit.
*Sta Virgo*, Deus ipse iubet purissima, motu
*Immani culpæ*, nec mouearis Adæ,
*Vna* mihi *Mater* præ cunctis, *unaq́* Virgo es.
Ceu *Dea*, tu culpæ non moueare gradu.

LXXVI.

*Me Deum Agna canet limo, pura via artis.*

AGmina liligeris in cælo candida turmis,
Agno pura mihi Cantica, dulcè sonant.
Vocibus his delector ego; sed quis mihi carmen
In terris, pura Virginitate canet?

*Pura via* è *limo*, Diuinæ quæ fuit *artis*,
Hæc ſola in terris, *me canet Agna Deum.*

LXXVII.

*Adami putre malum, tego in ui ſanè cara.*

QVuod non curatur, vulnus lethale putreſcit,
Et neglecta magis, noxia plaga nocet.
*Putre malum* fuerat, crimen quod fecit *Adami*;
Omni ſed medica, ne caruiſſet ope;
Hoc ego, Nate tui pretioſi ſanguinis *in ui*,
*Sanè cara* tibi, ſano *tegoq́ malum.*

LXXVIII

*Vinetum è partu Agni, cares malo Adami.*

VInea quod fueris, tot de te Cantica Virgo
Teſtantur, ſacris vinea plena botris.
Tu ſapidi guſtus, vinum prædulce tuliſti,
Cæleſti ex botro, qui Deus ipſe fuit.
*Agni vinetum è partu*, fers nectar; *Adami*
Tu Diuina, *malo* vinea namq; *cares.*

LXXIX.

*En Virgo tàm mirè munda, ſalua à capite.*

STirpis Adam noſtræ caput eſt; ſed morbus ab illo,
Et mors primæui, cœpit in orbe mali.
Labitur inde caput vitæ Conceptio noſtræ;
Nemoq; poſt peccatum, omnia ſalva tulit.
*En Virgo* ſola eſt *tam mirè* in origine *munda*,
*A capite* exortus, *ſaluaq́* tota ſui.

LXXX.

*Nudè caput mali Eua, Mater Agni amoris.*

NVdavit primos peccati noxa Parentes,
Pauperiem miseri, cùm didicêre suam.
Culpa reuelauit, puduit fecisse quod eheu!
Oraq; peccantûm discooperta rubent.
Sic *caput Eua mali nudè* fuit, ipsaq; nuda;
*Agni* sed vestem, *Mater amoris* habet.

LXXXI.

*Inuia Mater Agno, desuper immaculata.*

MIlle dolis anguis Stygius, fraudumq Magister
Quæsijt, vt fieret labis in Orbe via,
Induxitq; Euam speciosi munere pomi,
Vt daret heu! Stygijs artibus illa locum.
*Agno* quæ venit, peccatis *inuia Mater*,
Ortu *desuper*, hæc *immaculata* suo est.

LXXXII.

*Tam sanè it à macula, nam Virgo purè Dei.*

ARboris heu vetitos, properat dum carpere fructus,
Innocuis animæ dotibus Eua nitens,
Ad maculam venit, purum decus omne relinquens,
Sed primæ hæc fuerat, quàm rea facta notæ;
*Tam sanè à macula* culpæ *it* procul Eua secunda;
*Nam* fuerat *purè Virgo*, Parensq; *Dei.*

LXXXIII.

*Dei Agno tu es, para te nimirùm à macula.*

COnciperis Virgo, nostræ ventura salutis,
Spes bona; nam tecum proxima nostra salus.
Vt mundi tollat maculas, purissimus ex te
Agnus nascetur, Virgine Matre Deus.

*Nimi-*

*Nimirùm* si pura *Dei tu* Mater *es Agno*;
A culpæ *macula*, *te* procul ergo *para*.

LXXXIV.

*Implicitè negas Eua Adamum, o naturam!*

NVntius Angelici veniens candoris ab alto,
Dulce Sacræ Triados, cùm tibi dicit Aue,
Te Matrem Christi prænuntiat esse futuram;
Istud sed dum tu, quomodò fiet ais?
*Implicitè Eva negas* proin, atq; excludis *Adamum*
*O naturam*! cui gratia tota fauet.

LXXXV.

*Gemma purè intacta manu Ada liuoris.*

QVas tetigit gemmas, post lapsum dextera Adami,
Omnibus his, culpæ livida signa dedit.
Gemmæ animæ fuerant hominum, quas livor in ortu
Infecit, postquam gratia tota perit.
Magna Dei Mater, *liuoris* nescia culpæ es,
*Purè intacta manu*, *gemma* parentis *Ada*.

LXXXVI.

*Nata Mater, laus Regi, i, neca pomum Diua.*

IPse sibi Deus est, laudum Regalis abyssus,
Mensuramq; sui, solus honoris habet.
Pura creatarum laus est tamen vnica rerum,
Quæ pomi impuri, nescia sola fuit.
*Nata* Deo *Mater*, *laus Regi* maxima Christo
Talis es; *i pomum Diua* proindè *neca*.

LXXXVII.

*Agna mi pia, sic maturè mundo reuelata.*

Quot

QVot desiderijs pro te purissima Virgo,
Deuotæ in terris ingemuêre animæ!
In limboq; Patrum quantus fuit ardor! & alti
Quot gemitus! dum te turba beata petit.
*Sic* tandem *mundo maturè*, sècula post tot
*Agna reuelata* es *mi pia*, pura nimis.

LXXXVIII.

*Clarè pura, magè, Diua nam iam es in tuto.*

POst Christum præuisa Deo, selectaq; Mater,
Non est cur timeas, nubila labis Adæ.
Lux animæ, concessa tibi purissima in ortu,
In manibusq; Dei, stat tua tuta salus.
Tu cunctis *magè pura* nites, *clarèq;* coruscas;
*Nam* Christi *in tuto es*, *iam* mea *Diua* sinu.

LXXXIX.

*Adami è macula, gemitu non sit rea pura.*

PEccatum gemitus sequitur, rea mens gemit eheu!
In lachrymisq; dolor, navigat ipse suis,
Immanis culpæ stimulus, qui lancinat Euam
*Non sit pura* iubet, quæ *rea* prima fuit.
*E macula*, *gemituq;* graui lugentis *Adami*,
Quæ rea non fuerat, sit quoq; Virgo procul.

XC.

*Ligo Deum Sirena, tam pura vnicè amata.*

DVlce Laertiades cantu ne fortè venenum
Hauriret, Siren noxia quando canit;
Auribus obstructis sociorum, maluit ipse
Adstringi, fugiens cantica sæua maris.

*Siren*

*Siren* ego *tam pura, Deum ligo* carmine dulci,
Mater ei quoties, *vnicè amata* cano.

XCI.

*Amarè nati nauigamus, duce Matre poli.*

IN culpa geniti, maris profundum
Proles impia nauigamus eheu!
Iactamurq; periclitante cymba
Hausti sæpiùs, inter æstuosi
Fluctus Oceani; nec vlla staret
Nobis certa salus, speiq; nulla
Rates anchora naufragas teneret;
Ad portum nisi stella nos Maria
Tandem duceret. hac in ira *amarè*
*Nati* per mare *nauigamus* altum,
Felici *duce* Matre Gratiarum.
Nam sub *Matre poli*, quis ad polare
Sidus non penetret? quoad beato
Iesu dulcitèr in sinu quiescat.

XCII.

*Mater sum magni Adæ, ac purè Inuiolata*

PEctoris innocui fuerat, ceu paruulus Adam;
Peccato fieri magnus at ille cupit.
Mox cadit, ac latitat culpa depressus; ab alto
Qui saluaret eum, donec adesset Adam.
Huius *Adæ magni sum Mater*, paruula Virgo;
Quæ Sancta, *ac purè*, hinc *inuiolata* fui.

XCIII.

*Operum Dei regnas, Natiua Immaculata.*

 Diui-

DIuinæ fecêre manus Regaliter in te
Matris, & æternæ Virginitatis opus.
Secula non capiunt, tantæ molimina dextræ,
Solaq; miraĉlis omnibus altior es.
Tu *regnas*, *operumq́ Dei* tu maxima Virgo
*Natiua* es cunis, *Immaculata* tuis.

# MESSIS IV.

## XCIV.

*Iam tu mi amor, vna pura de lege sic nata.*

POst culpam, decreta ſtetit lex omnibus vna;
Omnis vt in culpa concipiatur homo.
Lex tamen hæc, non eſt contra me, dulcis *amor mi*,
*Iam* ſtatuis legem, *tu* mihi Nate nouam;
*Sic*, ut *nata* licet fuerim, *de lege* Parentûm;
*Pura* Deo Mater, ſim tamen *vna* tibi.

## XCV.

*Almi pura gemma, venit ad nos via recta.*

INdutæ gemmas, veniunt ad ſceptra maritæ,
Quas Regum trabeæ, quas thalamiq; decent.
Illas grando licet, gemmis pretoiſa coronet;
A culpa, rectam non tenuêre viam.
*Almi pura* Dei genitrix, eſt *gemma*; ſed *ad nos*
Illa poli *recta*, *venit* ab axe *via*.

## XCVI.

*Mare purum Dei, Agna Ieſu malo intacta.*

VNdarum moles, pelago quæ fluctuat alto,
Voluitur immenſis, turbida ſæpè vadis.

Ante

Ante thronum Domini, vitreum mare cernitur in me;
Cryſtallus veluti, quæ ſine labe nitet.
*Agna Dei Ieſu, purum mare*, pura Maria,
Sumq́; *intacta malo*, quod mala cuncta dedit.

XCVII.

*Tu Deipara, & Agna ſine macula, o! mirum.*

SI miranda Dei, quod patrat dextra ſtupeſcis(
In me oculos potiùs, mens bona fige tuos.
Figimus o Virgo( ſed maxima, quæ Deus in te
Patravit, nullo ſunt capienda modo.
*Tu Diuina Parens, macula ſine* tu quoq; es *Agna*;
*O mirum!* quod mens nulla creata capit.

XCVIII.

*Vi mota macula, regat me Parens Diuina.*

FOrtiter à macula fuerat ſervata Parentum,
Decrevit Matrem, quam Deus ipſe ſibi.
Vis Divina fuit, Stygijs quæ fraudibus illam
Exemit, primi ſic cecidêre doli.
Ergo *vi mota macula*, quæ ſola triumphat,
Iam *Diuina Parens, me* ſine labe *regat*,.

XCIX.

*Me purè Sanctam Agni, vi lauda, ora, time.*

INnocuas animas, cariſsima pectora Chriſto,
Integritas quamvis, vitaq́; ſancta probet;
Purè ſancta tamen, non eſt conceptio in illis;
Ortus impuri, quas nota prima grauat.
*Me purè Sanctam* Matrem, qui ſuſpicis *Agni*;
*Lauda*, ac *ora*, *vi* cordis, amanſq́; *time*.

C.

*Inclyta Eua, pura Adamo, summè regnat.*

NOn poterat regnare diu, quæ ſubdita culpæ
Momentoq; cadens, fregerat Eua fidem.
Inclyta regnando fuerat, mox ſerua receſsit;
Arboris vt petijt, poma negata ſibi.
*Eua* Dei Mater fuit *inclyta, puraq;* *Adamo*;
Hinc *summè* puro, *regnat* in Orbe throno.

CI.

*Auerti actu Agna, pro me, manus Almi Dei.*

VIſcera quid lanias? coluber quid perfide mandis
Os ſpurcum! mihi quod vis tua nulla nocet.
*Agna* Dei puri, nunquam communico tecum;
Nec Stygis impuræ, me tetigêre manus.
Omne nefas *actu auerti.* victricia *pro me*
*Almi* quando *Dei*, tela fuêre *manus.*

CII.

*Maculam negat vita Dei, nam seriò pura.*

FOns vitæ Chriſtus, veræ ſpiracula vitæ
Inſpirans alijs, cunctaq; viuificans,
In medio terræ, mortalem ducere vitam
Cum voluit, maculam noluit ille pati.
*Vita Dei* ſic Diua Parens, *maculam negat* in te;
*Nam* tu *pura* mali, *seriò* es ante malum.

CIII.

*O mi Agna manuum Dei, puritate clara es!*

DIuinis manibus, quod Orbe toto
Formatum ſtetit, abſoluta rerum
Ornat

Ornat gratia; ſeu coruſca cæli
Spectes lumina, ſeu maris profundum,
Compagemue ſoli grauem patentis,
Authoris loquitur ſui, creata
Res omnis ſapientiæ increatæ
Immenſum pelagus. ſed vna vicit
Maieſtas animæ Dei Parentis,
Virtus, gratia, puritas, venuſtas,
Quidquid nobile rebus in creatis,
Auguſtumq; nitet, ſacrum, ſtupendum.
Abſoluit Deus o Maria totum
In te! quod Deitatis ex abyſſo
Transfundi potuit; ſtuporq; totus,
Non eſt quod magis Orbis in theatro
Contempletur opus. labore nempè
*O mi Agna es manuum Dei* Supremo
Efformata; nec vlla purior te
Virgo lumine claret innocenti,
Omni tu quia *puritate clara* es.

CIV.

*Re à reatu omni munda, pia, luceat magis.*

QVæ genuit lucem, mortali nube latentem,
O quam Virgo Parens, lucida tota fuit!
Inconceſſa alijs Diuinæ gratia Matris;
Vnum eſt, quo nullum maius in Orbe jubar.
*Omni* ſed culpæ, cùm ſit *re munda reatu*,
Tam *pia* lux animæ, *luceat* ergo *magis*.

CV.

*Venit Agna summi Dei, cara, & pura malo.*

PVrus amor, cæleſtis amor, nihil æſtimat æquè;
Nilq; magis carum, quo recreetur habet;
Quam cor manſuetum, quàm puræ lilia mentis;
In puris Agnis, quæ Deus Agnus amat.
*Agna Dei ſummi, venit* dilecta Maria
*Cara,* ſed *&* culpæ neſcia, *pura malo.*

CVI.

*Non ſcit mala via, pura gemma, ter Diua.*

TRamite cæleſti, puram veniſſe putaſſes
Matrem, quæ genuit Virgo pudica Deum.
Tam fuit illius Conceptio Sancta, nitenſq;;
In mundumq; illi, tàm via munda fuit;
*Pura* Parens, & *gemma* Dei, *ter Diua Virago,*
Sic *mala* pollutæ, *non ſcit* in orbe *via.*

CVII.

*A ſe en natam vitam, dulcè pariam Virgo.*

OMnia quæ viuunt, vitam debere fatentur
Autori vitæ, principioq; ſuæ;
Nam Deus eſt à ſe, ſibi vita, eſſentia, virtus;
Sed debent eſſe, & vivere cuncta Deo,
*A ſe* ergo *natam vitam,* ſi germine porto;
*Dulcè* meum *pariam, en Virgo* pudica Deum.

CVIII.

*Prima ſum in Regno Dei, ea tuta à macula.*

MEns æterna Dei, ſummo dictamine quando
Deſtinat, in cælum quæ pia corda vocet;

Post Christum caput electorum, me sibi primam
Eligit. vt primam cælitùs ille locet:
*Prima Dei in Regno* quoniam *sum*; cur precor, omnis
*A macula* culpæ, non *ea tuta* vocer?

CIX.

*Virgulta, Dei amore capta, immunè sana.*

TErrarum deserta petens, Deus hinnulus in me
Factus, & humano passus amore capi,
Dilexit virgulta mei purissima cordis;
Hîc salit & meus hîc dulce moratur amor.
*Capta Dei Virgulta* mei, lætantur *amore*,
*Sana* quod *immunè*, & libera labe fui.

CX.

*Regna tu armis una, ope Dei immaculata.*

MOvit Auernales furias, Draco sæuus ad arma;
Vt caderet Stygio robore, victus homo.
Non vi contra nos, vapidis sed fraudibus actum est;
Absq; armis victi, credula turba sumus.
*Armis tu regna*, victrix Stygis *immaculata*;
*Vna Dei* fueras, nescia labis *ope*.

CXI.

*A digna Matre puri Iesu, en mota macula.*

LAus, & honos Nati, celsissima gloria Matris,
In sobolem meritò refluit illa suam.
Si Deus, immensa est, puri candoris abyssus;
Conscia si maculæ mens, inimica Deo est.
*A pura Iesu*, tàm *digna* Virgine *Matre*
Quam *macula* est iustè *mota*, iubente Deo!

CXII.

*Diuè pura Mater es, in Agno immaculata.*

NOn est, sollicitè quod mens humana requirat,
Ortus sit Virgo, cur sine labe tuus?
Cardo rei tantæ, Divinæ Matris honore
Nititur; & satis est, sic voluisse Deum.
*Immaculata* tuo, quoniam celebraris *in Agno*,
*Diuè pura* Agni, *Mater es* ergo Dei.

CXIII.

*En virtus Dei, ea magna pro immaculata.*

ÆGyptum contra virtus Diuina, potenti
Pro populo electo, visa stetisse manu;
Vicit, & in rubri submersit gurgite Ponti
Haustos militiæ cum Pharaone Duces.
*En virtus ea magna Dei* obruit, *immaculata*
*Pro* te sanguineo gurgite, Virgo Stygem.

CXIV.

*Luce novi Adam re ignita, summè parata.*

PLasma Dei, lux clara fuit; dum corpore casto,
Innocuoq; animo, lux mera fulsit Adam.
In tenebras lapsus, post culpam noctis amicam,
Perdidit heu læso Numine, lucis opus!
*Luce noui* clarescis *Adam*, *re ignitaq;* Virgo,
Pura nites, *summè* tota *parata* Deo.

CXV.

*En vim à te pia, alma Agna turris cum Deo.*

QVærimus, invictam quid nam te fecerit Agnam,
Contra quam technæ, nil potuêre Stygis

*Vim* Deus, inferni totam quod ſuſtulit *à te*,
Hoc fecit dignum, Matris honore decus.
Tam *pia*, & *alma* ſacri fueris, quod Numinis *Agna*;
*Cumq; Deo* victrix, *en* quia *turris* eras.

CXVI.

*Genita, à parte rei, munda ſum, i! o macula.*

NOn eſt ingenij, res hæc inuentio docti;
Solius tantùm, nec rationis opus,
Quidquid concepta de me ſine labe, perennes
Seu calami ſcribunt, ſeu pia lingua canit:
Sic *à parte rei*, Genitrix ego, *mundaq;* Virgo
*Sum genita*, omnis ſic *i* procul *o macula*!

CXVII.

*En artis, gero Deum, vna pia, Immaculata.*

VInceret vt Stygias, ſapientia cælica fraudes,
Arte noua gerit hoc, ingenioſus amor.
Induit humanam carnem Deus, arteq; mira
Orco, morte Crucis parta trophæa rapit.
*Artis* ego tantæ authorem, *en pia* germine caſto.
*Vna Deumq;* Parens, *immaculata gero.*

CXVIII.

*Salue mi pia munda, vocata Mater Regni.*

LVcifer vt cecidit, ſolio deiectus ab alto,
In teſtamenti monte, quod ipſe ſibi
Ponere tentavit, diris furialibus actus;
Angelici eſt grandis facta ruina chori.
Iacturæ tantæ Reparatrix *mi pia ſalue*,
Et *Regni Mater, munda vocata* Vige.

CXIX.

*Iusta, pura Deo, regna in me Immaculata.*

DVlcè mihi, cantare tuæ præconia laudis;
Iustitiæ speculum, quæ sine labe nites.
Dulcè mihi seruire tibi, Regina pudoris
Virginei, pura quæ niue purior es.
*Pura Deo* cùm sis, *regna in me*; *iustaq;* labem
A servo tollas *Immaculata* tuo.

CXX.

*Cum Deo Nata, Alma pura, en erigis vitam.*

DIuinæ Matri præ cunctis, quantus in Orbe
Cessit honos, & quæ gratia, nemo capit.
Natales animæ illius, si respicis? ecce
Res hæc, ex cunctis prodigiosa nimis.
*Erigis en vitam*, nam *pura* es Mater, & *Alma*,
*Cumq; Deo* veluti es *Nata*, quis ista capit?

CXXI.

*Natis Dei Agna ait, verè maculam rumpo.*

AVdiat, attendat rerum quæcunq; creata
Est series, Orbis quantus ubiq; patet.
Quando concipitur Virgo, sine labe Parentum,
Illa *Dei natis*, quid benedicta refert.
En *verè maculam rumpo*, dum nascor vt *Agna*,
Sic dilecta Deo, puraq; Mater *ait*.

CXXII.

*Almè si nata Virgo, iam purè nacta Deum.*

GRatia cælestis, quam te sublimat, & effert
Virgo! cor expansum quàm Deitatis habes!

Inte-

Interior pupilla tuæ purifsima mentis,
In terris meruit quando videre Deum.
Si *purè Nata* es *Virgo*, quod credimus *almè*,
In terris, fueras *iam* quoq; *nacta Deum.*

CXXIII.

*Tu Iesu Regina, nam pura, nec i malo Adam.*

QVod te Reginam, cælumq;, folumq; fatetur,
Ad nomenq; tuum, Tartara quodq; tremunt;
Hoc tibi, poſt Chriſtum præſtat data ſumma poteſtas,
Atq; animæ ſpecies immaculata tuæ.
*Tu Ieſu Regina* Parens. *nam* tu quoq; *pura* es;
*I, nec* tacta *malo* viue Parentis *Adam.*

CXXIV.

*Agna niue purior, meta ſed Immaculata.*

OMnia candoris puriſsima illia vincis,
Omneq; vincis ebur, Virginitate tua.
Indè tui captus, Virgo candoris amore,
Deſcendens cælo, venit ad ima Deus.
Hùc illi fueras tu *meta, ſed Immaculata*;
Meta Deo digna eſt, *purior Agna niue.*

# MESSIS V.

CXXV.

*Agna es, indè pura, iuro Te Immaculatam.*

IN petra fidei, Romani verticis arcem
Sedis Apoſtolicæ credo, vicesq; Dei
Quas tenet in terris veneror; tantæq; columnæ
Innixus, de te ſic mea Virgo cano.

Conceptam culpa sine, *iuro Te Immaculatam*;
*Agna*, *es* Virgo Parens, *indèq́ pura* nites.

CXXVI.

*Genero Virum pacis, Almè ait vt amanda.*

PAx dilecta mihi, pacis sum Filia, Mater
Sum genita, vt statuam nobile pacis opus.
Hinc *genero* res mira *virum*, purissima Virgo;
Ante Deum, *pacis* qui Mediator erit.
Labe carens hominum Mediatrix, sic *ait Almè*;
*Vt* pax sit vobis, Mater *amanda* peto.

CXXVII.

*Nimis puram eam edocet, lingua aurata.*

HErculeis quondam poterat quæ corda catenis
Ducere, quàm verè hæc aurea lingua fuit!
Dignior hæc auro, gemmis dignissima lingua est,
Totaq; de cælo, sit benedicta, decet.
Quæ Matrem Domini *puram nimis edocet*, illa
*Lingua Deo aurata* est, & veneratur *eam.*

CXXVIII.

*Animata sine macula, paret Virgo Deum.*

QVo Deus infundit momento, in corporis artus
Humanas animas, mox nota prima grauat.
Proh dolor! id meruit primorum noxa Parentum.
Sola Dei non est, sic *animata* Parens,
Hæc *macula sine*, pura sua est in origine *Virgo*;
Vtq; *Deum* pariat, viscera casta *paret.*

CXXIX.

*En ritè pura sum Agna, ideò Immaculata.*

Hoc

HOc toties gemino, toties hoc dulcitèr Orbi
Commemoro, quod ſim neſcia labis Adæ.
Quis neget, hoc de me iuſto concludere ſenſu?
Res hæc digna Deo, Matreq; digna Dei.
*En* quod *pura* Dei *ſum*, *ritèq.* quod vocor *Agna*,
Cauſa *ideò* eſt ortus *Immaculata* mei.

CXXX.

*Sum Nato dignè pia, reuera Immaculata.*

FOns veri Deus eſt, certiſsima linea rerum;
Vera Dei veri, ſum quoq; Mater ego.
Verius haud quidquam, quàm me ſine labe creatam;
Hoc voluit, qui me condidit ipſe Deus.
*Dignè ſum Nato, pia* Mater condita Chriſto;
*Reuera* ſpecies *Immaculata* mihi eſt.

CXXXI.

*Iam educ Mater pia, erga nos lumina tua.*

CVr oculos Mater, cur dulcia lumina claudis?
Tu pupilla Dei es, quæ ſine labe nites.
Vt ſpem concipiat mundus, lumenq; ſalutis;
Lucida in exortu concipiare tuo.
*Educ erga nos pia, iam tua lumina Mater*,
Gratia nos tecum, reſpicietq; ſalus.

CXXXII.

*Neſcit veniam mali, grata Eoa, dum pura.*

GVſtibvs heu vetitis, in Adam peccauimus omnes,
Omnes peccati, poſcimus hinc veniam.
Concipimur ſoboles iræ, primiq; reatus,
Vitæ Oriens noſtræ, non ſine labe gemit.

Ortu *grata* ſuo, *dum pura* eſt *Eoa* Virgo,
Hinc *veniam neſcit*, poſcere ſola *mali.*

CXXXIII.

*Dei ſum Regina intacta, væ rumpo mala.*

ORbis Reginas, incedere paſsibus æquum eſt;
In quibus ad ſolium, purpura ſternit iter.
Hoc Regalis honos, Maieſtatiſq; requirit,
Splendor, & auguſto ſemita digna gradu.
Si *Regina, Deiq;* Parens *ſum, intactaq;* Virgo;
*Væ* primum, & culpæ quàm bene *rumpo mala.*

CXXXIV.

*Ergò vidi pura es, mi Nata ante maculam.*

DVlcis ab æterno, dum me ſinus ille teneret,
In quo grata quies, deliciæq; mihi,
In ſpeculo Deitatis eras, Verbum Patris inquit,
A macula culpæ, tu mihi viſa procul.
*Ergò mi* Virgo *vidi* te, *pura es* & vna
*Ante* omnem *maculam*, tu mihi *Nata* Parens.

CXXXV.

*Peſtem vici, alma & munda, Virga Aaron.*

DIuinæ memoranda tulit miracula dextræ,
Virga Aaron, quando floribus illa ſuis
Naturæ leges ſolitas, curſumq; ſtupendo
Ordine vicit, opus nobile facta Dei.
*Virga Aaron*, Virgo plùs vici; criminis *Alma*
Dum *peſtem vici, mundaq;* tota fui.

CXXXVI.

*Vera Agna ſic Nata, immolat puerum Dei.*

Man-

MAndatis Abraham Diuinis, corde manuq;
Obſequitur facili, dum pia iuſſa facit.
Deſignans puerum ſacris altaribus Iſàac;
Agnus ſed pro quo, victima factus erat.
En *vera*, *&* *ſic Nata*, Aris cæleſtibus *Agna*;
Pro nobis, *puerum* nam *immolat* illa *Dei*.

CXXXVII.

*Ramus de vinea Agni, Immaculato Patre.*

ARbor peccati, ramos produxit in Orbe,
Heu infelices! malaq; plena mali,
Sed felix arbor, Crucifixi gratia Ieſu,
In ramis vitæ, dulcia poma tulit.
*Ramus* ſum felix, *Agni de vinea*; & inde
*Immaculato* ſum Numinis orta *Patre*.

CXXXVIII.

*Agni Mater Immaculata, vna Deo è puris.*

DIlexit puras animas, puriſsimus ipſe
Ieſus amor, vitam pro quibus ille dedit.
Quidni diligeret Matrem, puramq; crearet
Præ cunctis? quâ nil purius Orbis habet.
Hæc *Agni Mater*, concepta eſt *Immaculata*,
Mentibus *è puris*, quæ fuit *vna Deo*.

CXXXIX.

*I en gemma, ſinu trito Adæ, pura à macula.*

QVis fuit ille ſinus? pretioſas gignere gemmas,
Qui puro cordis germine, dignus erat.
Nonnè parentis Adæ ſinus hic? qui gemmeus ante
Peccatum, mox à crimine tritus erat.

*En* ex hoc ō *Virgo sinu* licet edita *trito*
*Igemma à macula, pura* parentis *Adæ.*

CXL.

*Vna vni Virgo Mater, lampas, ac meta Dei.*

ÆGypti Phariæ turris, celsissima moles,
Quæ vicina mari, flammea meta stetit,
Innumeris arsisse focis, & lampade tota
Visa est ex alto, promicuisse tholo.
*Vni lampas* ego fulgens, *ac meta* coruscans,
*Vna* fui *Virgo, Mater* & vna Dei.

CXLI.

*Re tu ignita, me pura à macula dæmonis.*

EVa Creatoris manibus, dum pura creata est
Soli nota Deo, pulchra, decora fuit.
Accessit dæmon Stygius, blandèq; locutus,
Dum capit, heu notam fecerat ille sibi!
Nota Deo soli, *re* lux, *ignitaq́, tu me*
*Dæmonis à macula*, protege *pura* Parens.

CXLII.

*O mundi puritas, iam ea lucet mera Agna.*

REs pulcherrima mundus, à decora
Dictus munditie, tot vniuersi
Complexus species, opusq; vastum,
Crystalli speculum velut nitentis,
Pulchritudinis est imago factus
Diuinæ; loquiturq; Conditorem
Puro lumine Solis, & tot Astris.
Cælorum sed imago puritatis,

Cun-

Cunctis purior, eminentiorq́;,
Et sola est propior Deo Maria.
Nam mundi decus, in parente primo
Post culpam cecidit. nec vlla prisca
Rerum gratia, puritasq́; mansit.
Donec pura Deum, innocensq́; Mater
Casto germine, seculisq́; Virgo
Partu gigneret omnibus stupendo;
Vt Crux, passio, morsq́; dira Iesu
Purum redderet in cruore mundum.
Exclamare proin licet redemptis,
*O mundi* sacra *puritas*, Maria!
Quæ priscum decus Orbis innouauit;
*Iam lucet* meritò sui nitoris,
Præ cunctis *ea pura* Mater Agni,
*Agna* ceu *mera*, puritasq́; mundi.

CXLIII.

*Ter pura vna summi Dei, ei cognata Alma.*

NEmo tuas dignè, Virgo purissima laudes,
Angelica quamuis dicere voce queat?
*Vna Dei summi* cùm sis, electaq́; Virgo;
Tu *cognata* es *ei*, pro stupor! *Alma* Parens.
Delicium Sacræ Triados, *ter pura* Maria es;
Hoc dignè Vates, nullus in Orbe canet.

CXLIV.

*Euge pura anima, mira, & alta cum donis.*

MAterno cunctas animas, vt vincis honore;
Sic animæ donis, Virgo beata tuæ

Electos ſuperas omnes; menſuraq; nulla eſt
In Sanctis, quæ ſit dotibus æqua tuis.
*Eugè* igitur tu *pura anima* es, ſublimis, *& alta*;
*Cum doniſq;* data eſt, gratia *mira* tibi.

CXLV.

*Iam pura retenta ſum, Agno Dei, i macula!*

QVi me ſeruavit, qui cuſtodiuit ab alto;
Naſcerer vt culpa, conciperer q; carens,
Agnus erat, Natuſq; meus; de corde Paterno
Æterna genitus, qui in Deitate fuit.
*Agno pura Dei*, quoniam *ſum* Virgo *retenta*,
Vt fierem Mater, *iam* procul *i macula*!

CXLVI.

*Maneat re Virgo, ſit piè munda à macula.*

CÆlitùs æterni ſtetit vt ſententia Verbi,
Naſci hominem in terris, velle aliquando Deum;
Mox quoq; decretum ſtetit immutabile, de te
Magna Dei Mater, quod Trias Alma tulit.
Quæ paritura Deum eſt, *maneat re Virgo* pudica;
*Sit* concepta *piè*, *munda* ſit *à macula.*

CXLVII.

*Mane vt Roſa Dei Agni, purè Immaculata.*

SI roſa, purpurei decoratam flore pudoris,
Quam feci, Stygijs concidit Eua dolis;
Tu mihi, dulcis ait Ieſus, ſeruabere Virgo;
Purus ab æterno, quam mihi plantat amor.
*Agni* tu dilecta *Dei*, Conceptaq; *purè*
*Vt Roſæ*, mi Genitrix *Immaculata mane.*

CXLVIII.

CXLVIII.

*Aperias Regnum Dei, tuta à macula omni.*

COnclusit ira cælicos postes gravis,
Deiq; vindex pro reatu dextera,
Hæsisse claustra mille fecit vinculis;
Terra gemente; quod negatus heu diu,
Apex Olympi, staret ære triplici
Cêu fusus, & minax reis mortalibus.
Clauis, manusq; defuit tunc aurea,
Cæloq; digna; cardines quæ solueret
Vinctos reatu, pura scilicet manus,
Nec vincta nexu criminis, quæ redderet
Cælos apertos, sola mundo defuit.
Secura tandem, pura, sancta, libera,
Et innocentis dextra verè seculi,
Tecum coorta est Virgo Mater; vt poli
Ferrum decēplex, claue digna solueret;
Dum clauis illa Dauid, ex te prodijt;
Quæ sola, cæli claudit, & pandit viam.
O ergo cùm sis Virgo *tuta* gratiæ (
Cùm sis *ab omni* criminis *macula* procul;
Illa beata, quâ Deum gestas manu,
Nobis *Aperias* poscimus *Regnum Dei.*

CXLIX.

*Candore Iesu magna, ii tu nam Almè pura.*

QVis niveas dotes, quis puræ lilia mentis,
Innocuum, Virgo, quis tibi fecit ebur?
Candidus ille Agnus, qui lilia pascitur inter,
Hoc fecit, cuius candida Mater eras.

Hoc

Hoc *Iesu candore* nitens, & *magna triumphans,*
*Ii, nam Almè tu* via *pura* venis.

CL.

*Virgo me tanti pura, nescia Adæ malum.*

SAnguinis effusi pretio, Cruce, morteq; sæua,
Prima mihi fueras, casta Redempta Párens.
Res licet hæc *tanti* pretij fuit vna; sed omnis
Tu pretij, fructus maximus esto mihi
*Virgo*, tu per *me* es, tanto de sanguine *Pura;*
Vt fieres *Adæ nescia* scire *malum.*

CLI.

*Lucet iam nata Agna, ore summi Dei pura.*

VIrgineos ortus, primæua labe carentes,
Quod canimus, causæ lux manifesta patet.
Respice natales, quibus hæc lux orta refulsit;
Cunarum sedes, lucis abyssus ei est.
*Ore Dei summi nata* est, *iam lucet* vt *Agna,*
*Pura*; Dei quid enim purius ore datur?

CLII.

*Adsum en reo turpi, ea Immaculata Agni.*

DIuinum quoties venit reus ante tribunal,
O quàm peccator, me sine tristè gemit!
Spes omnis sublata cadit, sententia Iusti
Iudicis, vt damnet, cêu graue fulmen adest.
*Immaculata, reo turpi,* sed Mater vt *adsum,*
*Agni* fulmineas *en ea* flecto minas.

CLIII.

*Tegas in vi Arca Noe, turpe malum Adami.*

QVantula pars hominum fuerat, quam texerat Arca,
Diluuii vaſtis, ne tegeretur aquis.
Næuo peccati, ſed gens humana grauatur,
Preſſaq; tàm grandi pondere, tota gemit.
*Turpe malum*, lapſi vitio quod venit *Adami*,
*Arca Noe*, in Ieſu, *vi* benedicta *tegas*.

CLIV.

*Agnam Matrem ſine Patre, audi ouicula.*

ÆTerna proles Luminis de Lumine,
Cæleſtis Agnus natus ante ſecula
Deo Parente, neſciit Matrem Deus.
Terreſtris Agna, Nata Matre gratia,
Adam Parentem neſciit Mater Dei,
Ex ſtirpe cuius, neſciit culpæ notam.
Hanc ergo *Matrem*, quæ pudico germine
In carne nobis protulit Natum Deum,
*Agnam* memento Numinis puriſsimam,
Natam *ſine Patre*, nam procul noxa graui
*Audiq, Ouicula* homo; Deum ſi vis tibi
Agnum benignum, non ſeuerum Iudicem;
Ex corde ductis hoc petas ſuſpirijs,
Oues vt inter ad beatam dexteram,
Felix, Maria ſupplicante ſis ouis.

CLV.

*Mater pudica nam Virgo, en ſat iam, vale.*

FLorida meſsis erat, quæ nos vernantibus hortis,
Hactenùs obſequio iuſsit adeſſe tuo,

Casta, *pudica Dei Mater, nam Virgo* perennis;
*En* nunc sacrando, germina pulchra tibi;
Dum placet ex illis, florum componere Fasces,
*Iam* Virgo canimus, *sat* tibi dulcè *vale.*

# F I N I T A

*Anno M. D. C. L. gemmata VIales Vre pVra ait.*

FIniit hic annus, Messem tibi Virgo dicatam;
Qui post mille annos, rursus in Orbe suo
Sexcentos numerat, decies quibus octo supersunt,
Annis cum quinq;, hæc quod sacra verba notant;
Dum *gemmata* mei, de cælis sum *Via Iesu,*
*Puraq; re* Virgo, *Diuaq;* Mater *ait.*

*Vna porta RegnI DeI SVm, ea ImmacVlata.*

FElices horas, felicia tempora mecum
Orbis quod numeret, secla beata probant.
Vt purè Concepta fui, sine labe Parentum;
Vt vitæ patuit, primaq; porta mihi;
Illicò *porta Dei Regni,* mortalibus *vna,*
Facta *ea sum* cunctis *Immaculata* patens.

*Luna MaijV. die, semper Agna, acuta morti.*

ANni delicium Maius, vernansq; medulla
Vt decus eximium, mensis amœnus habet;
Sic tu, delicium Virgo cæliq; soliq;,
Agna Deo, & Superis semper amæna manes.
Ergò tuæ in Maio, florum quam finio Messi,
*Agna* Stygi, & *morti semper acuta* faue.

# MESSIVM FASCES

## Centum Anagrammatum, ex eodem Programmate *Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Complicati.

## FASCIS I.

EVa amica Dea, ſurgit è planta Minorum.
Nata pura cum ea Religione, it ad ſumma.

Mirè magna, Diuè pura, tota ſine macula.
Malum, pænamuè ignoraſti, vt Arca Dei.

Tu minima dulciſona, à Rege purè amata.
Agna Veri Dei, ſummè pura, malo intacta.

Data reis Regina, munita culpam amoue.
Des vitam, à macula pura ante originem.

Para Te Vni Deo. Regina ſum Immaculata.
Ros, & Aura, item Luna, ac demùm Pia Agni.

Eo Mater ſine macula, iſ pura dita Agnum.
En dito Ieſum, Mater Agni, pura à macula.

Summè magna, in via lata, piè curro ad Te.
Mi pura iuncta Agno, ſalua Mater Dei.

Agne? Immaculata ſum, & Virgo Deipara.
Immaculata es, aut Dea, nam igne purior.

Te pura à macula, do in Matrem Iesu Agni.
Et ita manes Dei, nam Virgo pura macula.

Is vnica tàm lata Deo, summè pura Regina.
Ito emunda Regna, par Iesu Immaculata.

Morte Dei tui Agni, manens à macula pura.
Si pura ignorat viæ maculam? manet Dea.

Vide ergò, num pia arte canit, alma Musa.
Almè canit Iesu pura Virgomet amanda.

Per Te Virgo, almè munita à casu Adami.
Agnam Deum, in omni re lecta via, sat pura.

Agna sonat clarè, metam puram Dei vivi.
En plura mors Evam dicit, ea Agna vitam.

Præsum maculæ Adami, inuenta Virgo.
Præes Immaculata, nàm tu dignior Eua

Agna sum Dei. ruet cæna mali pomi. Ruat
Mandat Virgo, tàm pia, verè sine macula.

Mane mi Virgo Dei Parens, tuta à macula.
Adami, & culpa, nam arte, nam ui Virgo es.

# FASCIS II.

PVrè amore Agni, iam sum valdè intacta.
Ipsa àërea, aurum dignè, intactum malo.

Is per me, nudè sanata, Virgo Immaculata.
Is munda à macula, is regia & Iesum porta.

Decepit naturam Eua, anguis malo rami,
At Tu pura, ac magni doni, erue me à malis.

Cæli Agna, ea parturis Deum animatum.
Parturiens Agnum, ii, ama, lacta eum Deo.

En signata Deo, matura præiui maculam.
Me puro re, vi, manu signata cadite mala.

Regina tàm munda, portæ cæli Via sum.
Vti Mater pura, Domus cœnæ Almi Agni.

Veni o! casta Mater, an Dea? i! purga limum.
Apta, nivea i! ad me mortalem; cursu Agni.

Intemerata es Virgo, i! da manum à culpa.
Iam vale, Virgo Sacra, da manum petenti.

Ignara sum maculæ, ait denuò Mater pia.
Mercè iam sum pura, vnica ditata Angelo.

O Regia casa! nam manu Dei ruunt templa.
Adiuua nos in meta, it purè clara gemma.

Aptè munda gyras cælum, veni armata.
Venio dans Regi, ciuem, arma, apta multa.

En laus Deo, Agna ait, vi Turcam perimam.
Si me puram natam, æuo dicat Regni Aula.

In vita arcum Sultani premam, age o Dea!
Eas age ita pura corde, munita in malum.

I! educ nos in vitam æternam, agam pura.
I! ergo i! puritas nata, munda me à macula.

Mirè micas Diua tuta, à Pane Angelorum.
En Dei Pane Augusta, Immaculata, miror?

Arca Dei sum pura malo, venite Magnati.
Rogat culta, verè immunis, i pæna Adam.

Manè pura nata, sat mirè gaudium cæli.
Piè gaudens cælum, in tam mira natura.

# FASCIS III.

EVua summa, Lea pura dicit, regno amanti.
Regna os vita Immaculata, pariens Deum.

Os mei cautè, alma mundi Regina, sat pura.
Mei, en Agna Dei, ut ros pura Immaculata.

Euam intactam lauda, puro ameris igne;
Mira puro igne, sanè Tu Dea Immaculata.

Manu Dei vngor, ac Iesum pariam lætata.
A manu Dei es; Ergò in partu Immaculata.

Nata nimiùm pura i, sed maculæ à tergo;
En ita it, purum Ens, Adami, à macula ergo.

Cura Dei alo Agnum, sum pia Immaculata.
Alata eo in immensum, cura Dei purgata.

Virgo per se Nata, manu Dei Immaculata;
Eua clemens pia, dat Natum Virgo Maria.

Ego munda, in Iesu Immaculata reperta;
Mali mundani, ego sum via recta, aperta.

Tu iam, Tu mi Agna, re par es in macula Deo;
Vitem vera dita, par Agno sine macula.

Rectè Palma sum ori, at magè vnda in via.
Virgo castè præmunita in maculam Adæ.

I( præi mortem, duc vitam, vel sana Agna;
I( nam Tu re pura es, Agno Dei Immaculata.

Veni dilecta, pura ama, me rogat animus;
Augeas in me ( puta Minorita ) Deum clara.

Si mundè à macula pariam? ergò intactè;
Ergò alumna, Iesu intacta, pariam Deum.

Patrona mea regnes, diù vi Immaculata;
Regna supra me, o! nitida, Immaculata.

O( Dei Mater pura, en vnica amatum ligas;
Catena summi Dei, Virgo Nata, almè pura.

Tu prima termina mala, cui es Vade Agno.
I i secunda Eua, tam Almo regna primatu.

Plùs Eua datum Mariæ, ac termino Agni.
Minùs parùm gratiæ, in Eva cadet malo.

# FASCIS IV.

N*EGO* maculam in vita, semper Diua rata;
N*CEDO* ausu Marte, Mater lumini pia Agna.

*DISTINGVO* acumine mala à pura Matre.
*TRANSEAT* malum à pia, à Virgine cum Deo.

*PRIVS* à me data in nouam gratiæ lucem,
*POST* iam viue, Agna Mater clarè munda.

*PRIVS ORDINE* Tu electa i ama, ama Agnam;
*DIGNITATE* prima, cælo summa, vna vera.

*RE* ô tam pura Immaculata sanguine Dei (
*RATIONE* peculiari summa, magna vt Dea.

*NATVRA* sat pura lucida me Agno, me, me, i i.
*TEMPORE* luci das naturam, mi Agna viæ.

*GENERE* Diuino clamita, amata, pura sum.
*SPECIE* tua, amor i, almum regna, diu nata.

*DIRECTE* nego malum pura amata invisa.
*INDIRECTE* signo Eua parua malum amat.

*REDVPLICATIVE* mirè, summa Agna à Nato.
*TERMINATIVE* magna celso, i pura, vadam.

*POSITIVE* re vnda, re magna Immaculata.
*NEGATIVE* maculata, rues in primo Adam.

*COMMVNITER* ita Euæ pars, in gula Adam.
*SINGVLARITER* pia canet. amoue Adamum.

*SPECVLATIVE* Agnum Adami, è natu miror.
*EVIDENTER* iam clamat Agna, Io pura sum.

*MATERIALITER* pasco mundum Agna viæ.
*REALITER* Eua pacis Agni amo mundatum.

*MODALITER* nata anguem superaui mica.
*VIRTVALITER* summa à pane, dica me Agno.

*RADICALITER* magna, vna piè summè ouat.
*EMINENTER* Casta, Pura oui, liga Adamum.

*VNIVOCE* Dei alma gemma, sana parturit.
*ANALOGICE* summa & pura Adæ, i Trinum.

*IDENTICE* Tu amor, summi Agna, Lea pura.
*NVMERICE* agnita summa Deo, i lata pura.

# FASCIS V.

G*ENERICE* pura amata, ludo intima Musa.
*LOGICE*, Tu, idem innatè summa pura aura.

*DISTINCTE* Maria gemma aluo purè naua.
*INDISTINCTE* lego vuam amaram, ea pura.

*VT SIC* nata Agna mirè pura, ea odi malum.
*VT TALE* odi, amarum enim Agni pura esca.

*MEDIATE* Agno, re pura, sinu Immaculata.
*IMMEDIATE* Agna nos ritè pura à macula.

*COMPLETE* Diuina sum Regina, vna amata.
*INCOMPLETE* Viri Adæ sum Agna natura.

*CAVSALITER* Agna panem mirum viæ dat.
*INTRINSECE* da almum, aptum, i Eua togata.

*IN ACTV PRIMO* Maria veste valdè magna.
*IN ACTV ALTERO*, magna summè i vade pari.

*IN AGNO SIGNATO* per Adamum, verè Alma.
*IN ELICITO* Agna, puraué Mater sum Adam.

*RELATIVE* Dea Agni, matura, pia, communis.
*SIMPLICITER* munda, viæ Agno re amata.

*COPVLATIVE* Dea Trina, mite summa Agna.
*DISIVNCTIVE* pomum ama, re Agna, re alta.

*ACTV* alteri pura, Deo enim iam sum Agna.
*POTENTIA* Dei, vniam carum, arguens mala.

*PRIMARIO* en Tua Agna, mi Deus actu alme.
*SECVNDARIO* agnita, Euam primam leuat.

*NATVRALITER* agam, summa pace Dei vnio.
*VIOLENTER* sum magni Dei, pura, ac amata.

*IN SE* Arca viæ Agni, porta Agnum Deum.
*IN ALIO* Tu pacta summa, re vera, me digna.

*IN COMMVNI* partu à Te Adam Eua Regalis.
*IN PARTICVLARI* magna sum Eua, meta Deo.

*VNITIM* Agno & Adæ, iam clarè pura sum.
*DIVISIM* Tu pura Agna, contere mea mala.

Ama Iesum Virgo dilecta, nam antè pura;
Partu Scoti nivea, ama rem dignam *VALE*.

# ANAGRAMMATVM
## Supra enumeratorum
## EPIGRAMMATICE ILLVSTRATVS,
# FASCIS I.

### ANNAGRAMMA I.

*Eua amica Dea, ſurgit è planta Minorum.*

EVa inimica Deo poſt lapſum, planta ſuperba
Altiùs heu voluit creſcere, quam licuit!
Cùm Dea vult fieri, faſtum plantauit in Orbe;
Natu aliis maior, crimine facta minor.
En Dea quæ fieri non ambiit, *Eua ſecunda*,
En ancilla Dei, quæ cupit eſſe minor,
*E planta ſurgit* zelo, calamoq; *Minorum*,
Ceu *Dea*, peccati neſcia, *amica* Deo.

### II.

*Nata, pura, cum ea Religione, it ad ſumma.*

COnceptus ſine labe ſui, cunabula prima,
Inter Seraphicos depoſuiſſe Patres,
Cæleſti arcano voluit, puriſsima Virgo,
Indè trahens ortus immaculata ſuos.
Hoc fecit zelus, pro Virgine maximus ille;
Quo ſic, pro cauſa hac æſtuat Ordo Sacer.
Orbi *nata* velut ſit *ea cum Religione*;
*It* ſic *ad ſumma*, & *pura* Maria nitet.

III.

*Mirè magna Diuè pura, tota sine macula.*

MYstica de cælis, cum Virgine verba locutus,
Dixit ei sacrum, quando salutis Aue.
Angelus in sensu, quàm clausit multa profundo;
Ecce tot in sensus, litera ducta probat.
Clauditur hîc eius Conceptio pura, reiq;
Sæpiùs hîc tantæ, mysticus Ordo patet.
*Mirè magna* Parens, *macula* est *sine*, *totaq́ Diuè*
*Pura*; quid hac in re clarius Orbis habet.

IV.

*Malum pænamuè ignorasti, ut Arca Dei.*

POena malum sequitur, trahit illicò noxa flagellum,
Infelix anima est, quam nota prima grauat.
Non ignara mali viuit, gemit, æstuat, errat,
Et novit, quid sit deseruisse Deum.
Tu felix, vtq; Arca Dei, tu nescia tangi,
Conceptu fueras immaculata tuo.
Sola *malum* culpæ; iusti *pœnamue* doloris
Sic *ignorasti* Mater, *vt Arca Dei*.

V.

*Tu minima dulcisona, à Rege pura amata.*

NIl magè delectat, Diuini gaudia cordis;
Quam cor, quod minimum se putat, ante Deum.
Hoc melos est, prædulce lyræ; quo maxima rerum
Maiestas flecti, gaudet ad ima Deus.
Sic humiles sensus in te dilexit, ab alto
Audieratq; libens, Natus, amorq; tuus.

Tu mi-

*Tu minima* es Virgo, tu *dulcisona* es lyra Iesu;
Hinc *à Rege* tuo, *purè* es *amata* Deo.

VI.

*Agna veri Dei, summè pura, malo intacta.*

PAscua liligeris, Agnus Diuinus in hortis
Innocuo voluit, quæ patuisse gregi,
A macula procul esse iubet; purissimus ipse,
Electas animas, hîc vbi pascit amor.
Prima sed è cunctis hîc pascitur, Inclyta Virgo,
Quæ summæ palmam Virginitatis habet;
*Agna Dei veri* lectissima, *puraq; summè*;
Hæc *intacta* omni, nam fuit Agna *malo*.

VII.

*Data reis Regina, munita culpam amoue.*

ORbis ad imperium, Diuina sorte vocata,
Dùm tibi Sceptrorum iura, thronumq; parat,
Conditor ipse tuus Virgo; mox vndiq; cinctam
Te munit, sacris cælitùs excubiis.
*Si data* es o *Regina reis*, custodia tecum,
Omni momento, Regia quanta fuit!
A nobis igitur *culpam* procul *amoue*, & ipso
Tu *munita* Deo, sis quoq; nostra salus.

VIII.

*Des vitam à macula, pura ante originem.*

VVlnere lethali consumptos, vita, saluiq;
Deseruit, mortis certaq; præda sumus.
Vt libuit peccare homini, mox spiritus ille
Viuificans periit, gratia nempè Dei.

Spes tamen haud omnis sublata est, dum tibi vitam,
Concessit nobis se genuisse Deus.
*A macula* cùm sis *pura anteq; originem* amata;
*Des* igitur *vitam*, Virgo Beata tuis.

IX.

*Para te vni Deo, Regina sum Immaculata.*

DVm te formaret, quæ te suprema creauit
Numinis excelsi dextera, Virgo sibi
In Matrem electam, subito vox cælitùs orta est;
*Vni* Virgo *Deo*, *te* benedicta *para*.
Audîsti, totoq; animi dulcore liquescens;
Hæc Nato dederas, dulcia verba tuo;
Ex me vt nascaris, si me vis esse paratam;
*Sum Regina* Parens, *Immaculata* tibi.

X.

*Ros, & aura, item luna, ac demùm pia Agni.*

VT me conceptam prima sine labe, fateri
Non dubites, data sunt quæ mihi dona, vide.
Ros matutinus gemmas parit. ast ego Iesum
*Ros* cæli peperi, gemmaq; pura fui.
Si Deus Heliæ, leni monstratur in aura;
Dulcis ei Zephyrus, lenis *&* *aura* fui.
Luna tetras noctis, si lumine discutit vmbras;
Noctis *item* culpæ nescia, *luna* fui.
*Ac demùm* Mater si sum *pia* Numinis *Agni*;
Omnia conueniunt Immaculata mihi.

XI.

*Eo Mater sine macula, i pura dita Agnum.*

Maxi-

MAximus, immensus, diues super omnia solus,
Qui summè ditat, cuncta creata Deus,
Ditari per te, Virgo Sanctissima poscit,
Humani factus corporis, Agnus egens.
Vrget amor nimius. fac. ergò, quod petit, *Agnum*
*i dita* Virgo, Virgine carne Deum.
Audio mi Iesu, *macula sine, puraq;* tota;
Carne vt te ditem Virgine, *Mater eo.*

XII.

*En dito Iesum, Mater Agni, pura à macula.*

QVod petijt feci, dulcis meus Agnus, amorq;;
De puro carnem sanguine, quando dedi.
Victus amore hominum Natus, quam sumeret ex me,
Factus Homo Deus est, en quod auebat, habet.
Non poterat sine carne pati, mortemq; subire;
*En dito Iesum,* præsto quod ille cupit.
*A macula* dum *pura* Dei volo *Mater,* & *Agni,*
In carne humana, possit vt ille mori.

XIII.

*Summè magna, in via lata, piè curro ad te.*

ANxia res culpa est, angusti cordis amica;
Peccatum latebras quærit, amatq; fugam.
Nempè timor seruile malum, cor triste coarctat;
Inq; cauernosis conditur ille fibris,
Sed dilatat amor, læti sacra viscera cordis;
Ad Iesum lato tramite currit amor.
Hac *in* amore *via lata, ad te* dulcis Iesu,
*Summè magna* Parens, Virgo q; *curro piè.*

XIV.

*Mi pura iuncta Agno, salua me ô Mater Dei.*

NEmo magis puro, purissima Mater vt Agno
Iungitur, ex cuius sanguine Factus Homo est.
Agnus nostra salus, Agnusq; redemptio nostra,
Agnum quæ peperit, Virgo pudica Deum,
Est etiam nostræ genitrix, & origo salutis;
Nam mundo ex illa, prodijt orta salus.
*Agno iuncta* Deo proin, *ô mi puraq;* Virgo!
*Salua me, Mater* tu benedicta *Dei.*

XV.

*An ne? Immaculata sum, & Virgo Deipara.*

INquirat Orbis, quærat omne seculum,
Vastæq; mentis inquieta pectora
Scrutentur, Almi grande secretum Dei;
Concepta quod sim Virgo labis nescia;
Ex dignitate Matris hoc, & Filij
Fuisse dignum sentient Summo Deo,
Iustum, decorum, prædicandum seculis;
Quod Mater vna, cûi nihil par æmula,
Surrexit vnquam puritatis gratia,
Euæ in reatu non sit orta noxio.
Hoc si profunda mente, & alto pectore,
Animæ Deo gratæ tenetis, dicite;
Partu stupendo parturiui quæ Deum,
Et *Virgo* quæ *Deipara* sum purissimæ
Virtutis, *an ne* Matris *Immaculata sum*
Concepta sacro viscerum palatio?
Hoc veritatis sentit ex sententia, Æter-

Æterna cûi est veritas cordi Deus;
Qui totus ipsa puritas, & sanctitas,
Ex Matre nasci debuit purissima,
Quam fecit omnis gratiæ sacrarium.

XVI.

*Immaculata es, aut Dea, nam igne purior.*

QVi calet in terris, impurus cernitur ignis,
Terrestres vrit, flammaq; densa focos.
Qui calet in cælis, totus purissimus ignis,
Seraphicas mentes flammeus vrit amor.
*Immaculata es* ab hac cælestis lampade flammæ;
*Aut Dea* es, igne Deo dum sine fine cales.
Seraphico fueras Virgo, *nam purior igne*;
Hinc tibi cor flamma est, cordis amorq; Deus.

XVII.

*Te pura à macula, do in Matrem Iesu Agni.*

CVm Pater æternus, sic decreuisset ab alto,
Verbi Incarnati Mater vt alma fores;
Qui mihi Natus, ait, genitus de corde Paterno,
Æterna par est in Deitate Deus;
De te nascetur, carnis velamine tectus.
*Te pura à macula*, si Deus ergo Pater,
*Agni do in Matrem Iesu*, pulcherrima Virgo;
O quàm te manet hinc, immaculatus honos.

XVIII.

*Et ita manes Dei, nam Virgo pura macula.*

QVicquid in Orbe situm est, seu cælo clauditur illud;
Seu sublunaris machina quidquid habet,

In virtute Dei consistit; jureq; summi
Imperij, subsunt cuncta creata Deo.
Sed tamen à culpa, quæ distant longiùs omni.
Ex rebus dicas, hæc magis esse Dei.
Tota *Dei* res ergo *manes & ita* omnia Vincis;
*Nam macula pura* es *Virgo*, Parensq; Dei.

XIX.

*I? vnica tam lata Deo, summè pura Regina.*

NOn capit immensum, quicquid mensura modusq;
Terminat, angusto circuituq; capit.
Infinita capit Deitas, nisi sola seipsam;
Excessuq; suo, latiùs Orbe patet.
Immensum vt capias, cælo, terraq; stupente
I Virgo Genitrix, *vnica* digna Deo;
Tu *tam lata Deo* es, *summè Reginaq; pura*;
Vt Regem Regum prêndere, sola quêas.

XX.

*Ito emunda, regna, par Iesu Immaculata.*

VT Deus in terras descenderet, hoc amor egit,
Compatiens homini, quem cecidisse dolus
Fecerat heu Stygius! culpæ vinctumq; reatu,
Strinxerat ad pænas, vltio iusta Dei.
Sanguine sed proprio mundauit crimina mundi,
Regnans à ligno, victor in Orbe Deus.
*Ito* tu quoq; & *emunda*, *regnaq;* per Orbem;
*Par Iesu* cùm sis *Immaculata* Parens.

XXI.

*Morte Dei tui Agni, mánes à macula pura.*

San-

SAnguinis, & mortis pretio, de morte redempti
Æterna, culpæ conscia turba sumus.
Immensus valor hic, primam te Virgo redemit;
Cùm præseruauit te sibi dulcis amor,
In virtute Crucis Iesu, mortisq; futuræ,
Ne caderes telo, quo fuit ictus Adam.
*Morte Dei* hinc, *Agniq; tui* seruata triumphas,
*A macula* quando libera, *pura manes.*

XXII.

*Si pura ignorat via maculam? manet Dea.*

TEndimus ad Patriam, lucis regnumq; beatæ
Quærimus, in terris, nunc quoad esse licet.
Hùc nobis, vià prima data est sine labe; sed ipsi
Impuræ labis fecimus esse ream.
Ergò viatores miseri, luctamur & eheu!
Polluto in cælum, non datur ire gradu!
Sola *via maculam, si ignorat*, dum petit astra;
*Pura* Dei Genitrix, ceu *Dea* sola *manet.*

XXIII.

*Vide ergo, num pia arte canit alma Musa.*

DVm canimus de te, peccati nescia Virgo;
Angelicis vtinam barbita nostra modis
Tangeret illa manus! tibi quæ purissima semper
Debetur, laudis conscia nempè tuæ.
Ars hîc nulla valet, nisi quando Pneumate Sacro,
Entheat ex altò Spiritus ipse Dei.
*Ergò vide*, de te *pia* tali *num canit arte*,
*Musaq;* fac placeat, cælitùs *alma* tibi.

XXIV.

XXIV.

*Almè canit Iesu, pura Virgomet amanda.*

HVmanæ sileant cytharæ, Parnaſsia ceſset,
Tota cohors, Phæbi nobile ceſſet ebur;
Deſinat Angelici dulcor ſuauiſsimus oris,
Seraphicaq; canens deſinat arte melos.
Vna Dei cythara eſt dulciſsima, ſolaq; cordi
Carmina Divino pſallere grata poteſt.
*Almè pura* Deo, quando dulcedine cordis
*Virgomet*, & *Ieſu* Mater *amanda canit.*

XXV.

*Per te Virago, almè munita à caſu Adami.*

INſidias Stygii nemo vitare Tyranni,
Humanis potuit viribus abſq; Deo.
Heu cadimus facilè in præceps? nec ſurgimus ipſi;
Supponat validam, ni Deus ipſe manum.
Cælitùs hæc nobis data munimenta ſalutis,
Numen in exortu, ſi tibi prima dedit;
*Per te*, quæ fueras *almè munita Virago*,
*A caſu Adami*, vincimus ergò Stygem.

XXVI.

*Agam Deum in omni re tecta via, ſat pura.*

CVrreret vt ſtadium mirabile miſus ab alto
Filius æterni, candor, amorq; Patris;
Ardebat totis mortemq; Crucemq; medullis,
Grande Redemptoris, dum meditatur opus.
Hoc deſiderium, propter me, dulcis Ieſus
Ocyus accelerans, viſcera caſta ſubit.

Hic

Hîc ego *agam sat pura Deum*, vt procedat in Orbem;
*Omni in re* quoniam, sum *via lecta* Dei.

XXVII.

*Agna sonat clarè, metam puram Dei viui.*

DVlcis amor, pharetratus amor, qui corda sagittis
Figat vt è cælo, flammea tela gerit,
Dum fortè in terris, quam primo sauciet ictu,
Innocui metam cordis, habere cupit.
Ecce *Dei viui, puram* sine crimine *metam*,
*Agna sonat clarè*, primaq; Virgo petit.
Sauciet vt dulci, Deus illam vulnere; sicq;
Hæsit in hac meta, prima sagitta Dei.

XXVIII.

*En plura mors Euam dicit, ea Agna vitam.*

VNum velle Deum, vita est, pignusq; salutis;
Nam Deus ad vitam, sufficit vnus amor.
Pluribus intentus, non est amor æthere dignus;
Solus enim toto, dignus amore Deus.
*En* quæ *plura* simul voluit, mox reddidit *Euam*
Distractam, Summo *mors* caruisse Deo.
Hæc *dicit* mortem. sed quæ dilexerat unum,
*Vitam* dum peperit, dicit *ea Agna* Deum.

XXIX.

*Præsum maculæ Adami, intenta Virgo.*

SEruiles animas, peccatum fecit in Orbe;
Coguntur maculæ quando subesse suæ.
Turpe iugum ferimus, spoliati veste salutis;
Post lapsumq; animæ, concidit omne decus.

Ast ego, non subsum *maculæ* peccantis *Adami*,
Sed *præsum Virgo* libera, plena Deo.
Dotibus his ornata Parens, pulcherrima tota,
Soli *intenta* Deo, nil amo præter eum.

XXX.

*Praes immaculata, nam tu dignior Eua.*

QVod maculæ præsis, dixisti Regia Virgo;
Quam victrix ortum, conteris ante tuum.
Si caput est Stygium sub te, si vincis Auernum,
A quo victa prior, turpiter Eua fuit;
Omne Deo quidquid minus est, o maxima Virgo (!
Iure tuis superas fascibus, absq; pari.
*Tu* Præses nostra es, prima *nam dignior Eua*,
In macula natis, *Immaculata præs.*

XXXI.

*Agna sum Dei, ruet, ruat cœna è mali pomi.*

FRuctibus instruxit mensam, Styx atra malignis,
Mortiferas in ea proposuitq; dapes,
Heu cœnauit homo! sed mortis toxica sumens;
Induxitq; æternam, vnica cœna famem.
Sed *ruet* æternùm, nostræ *ruat* ansa ruinæ,
*E pomi* dapibus, proh data *cœna mali*!
Plaudite mortales, ego Mater, & *Agna Dei sum*;
Agnus erit vobis, en mea cœna Deus.

XXXII.

*Mandat Virgo tàm pia; verè sine macula.*

AD trabeas Regum, maiestatisq; coronas,
Imperij spectant iura, decusq; throni.

Obse-

Obſequium ſtringit populos, mandante Monarcha;
Regum Conſortes, hæc quoq; jura decent.
En Regis Regum, *macula ſine*, Regia *verè*
Conſors, Nata, Parens, ius habet imperij.
In virtute Dei, quid mandat *tam pia Virgo?*
A ſe cum macula, *mandat* abeſſe Stygem.

XXXIII.

*Mane mi Virgo Dei Parens, tuta à macula.*

SI te dilexi multis ex millibus vnam,
Elegi Matrem, ſi Deus ipſe mihi;
Vt mihi formaret, puro de ſanguine Carnem,
In te Pneuma ſacrum, ſecla quod vſq; ſtupent.
Quantus honos! animæ puriſsima viſcera quanta!
Nulli quam decuit, par ſine labe nitor?
Ergò *Dei mi* caſta *Parens*, æternaq; *Virgo*,
*A macula* æternùm, tu mihi *tuta mane*.

XXXIV.

*Adami, & culpa, nam arte, nam vi Virgo.*

VIcit Auernalis draco fraudibus, arteq; praua,
Suadens, vt vetitos carperet Eua cibos.
Credidit infelix, ſubverſaq; dæmonis arte
Concidit heu! manibus pura creata Dei.
Ars Stygis hæc, *&* *culpa*, nihil corrupit *Adami*
In te, quæ florem Virginitatis habes.
*Arte* triumphatum *nam* ſeu tu vincis Auernum;
*Nam* ſeu *vi* ſuperas, *Virgo es*, & Alma Parens.

XXXV.

*Purè amore Agni, iam ſum valdè intacta.*

PEccati careat, mea quod conceptio labe;
Multa quidem, iuſtè me decuiſſe probant;
Omnia ſed vincit, qui pro me maximus egit,
Victor ab æterno, cunctaq; fecit amor.
Hic mihi natales niueos, in origine prima,
Hic animæ cunis, lilia pura dedit.
Hinc *intacta* malis, *iam valdè* factaq; pura
*Agni ſum purè*, Mater *amore* Dei.

XXXVI.

*Ipſa àërea, aurum dignè, intactum malo.*

CÆruleas quamvis àër tenuetur in auras;
Impurus tamen, & peſtifer eſſe ſolet.
Obryzo quamuis nil ſit pretioſius auro;
Miſta in eo terræ, ſæpè metalla latent.
*Ipſa* ègo ſum, purè Zephyris celeſtibus orta
*Aërea*, & nulla eſt noxia culpa mihi.
*Intactumq́ malo dignè* ſum Numinis *aurum*;
Nam Deus eſt, ortus aurifodina mei.

XXXVII.

*I! per me nudè ſanata Virgo Immaculata.*

OMnia qui ſano, qui lenio vulnera cordis,
Omnia conſervans, viuificanſq; Deus.
Qui non permitto labi, qui ſurgere lapſos
A caſu facio, fractaq; conſolido,

An paterer Matrem, lethalis vulnere culpæ
Configi∫ potui quod prohibere Deus.
*I per me Virgo, nudè ∫anata* triumpha;
Na∫ceris ecce Parens *Immaculata* mihi.

XXXVIII.

*I munda à macula, i? regna, & Ie∫um porta.*

SCeptra tibi Virgo, cæli terræq; parantur;
Surgis in exortu, quando decora tuo.
Hic decor ad trabeas natus, ∫apit alta coronæ
Iura, nec humano na∫citur ille throno.
*I munda à macula,* nitor hic tuus omnia vincit.
Mundıtieq; animæ ne∫cit habere parem.
*I regna, & Ie∫um porta,* cum principe Sceptro;
Hic e∫t imperij, maxima cau∫a tui.

XXXIX.

*Decepit naturam Eua, anguis malo rami.*

EXimium natura decus, præclaraq; dotum
Munera, felici conditione tulit.
Innocuos ortus, quando virtute ∫uperna,
Pla∫ma Creatoris nobile, nacta fuit.
*Naturam* ∫ed mox *decepit*, vt *anguis* ab Orco.
*Rami* infelicis concidit *Eua malo.*
Re∫tituis Virgo naturæ munera no∫træ
Ramo felici, dum geris ip∫a Deum.

XL.

*At tu pura, ac magni doni erue me à malis.*

OBruor heu! totu∫q; cado, totu∫q; dehi∫co;
Pondere peccati, dum grauiore premor.

Mole Gigantea confectus, in ima profundi
Descendo, culpa est pondus & æthna mihi.
Sic pereo, fundoq; Erebi, sic proximus insto;
Vertitur in puncto, sic mea tota salus.
*At tu pura* malo, *ac magni* plenissima *doni*,
*Erue me, à* cunctis o pia Virgo *malis*!

XLI.

*Cæli Agna, ea parturis Deum animatum.*

SVmmus ab æterno, qui replet cuncta seipso,
Qui sibi præ cunctis, sufficit ipse Deus.
In se regnavit, cùm necdum cuncta creâsset;
Quæ fecit post hæc omnipotente manu.
Condidit hic cælos, animauitq; omnia solus;
Ast humana animâ, non animatus erat.
Nunc *ea* pura, *Deum cæli paris Agna animatum.*
Ex te quando Deus Virgine Factus Homo est.

XLII.

*Parturiens Agnum, i i ama, lacta eum Deo.*

VIrginitas sterilis, nunquam de germine casto,
Fecundis potuit fructibus esse grauis.
Hæc terris ignota, Deo sed cognita soli,
Possibilisq; data Virgine Matre fuit;
Hoc tibi seruatum decus est mirabile Virgo,
Vni, cûi similem secula nulla dabunt.
*I i! parturiens Agnum,* mirabilis illum
Mater *ama, lacta* dulcis *eumq; Deo.*

XLIII.

*En signata Deo, matura praiui maculam.*

Rega-

R Egales quoties ſignat cuſtodia gazas,
Apponit Regum, certa ſigilla manus.
Principis hîc arcana latent, nec tangere fas eſt;
Servandum magni, quod voluêre throni.
Sic ego Diuino, ſum cuſtodita ſigillo,
Puræ gaza ferens, integritatis opes.
*En ſignata Deo*, primi *matura præiui*
Exceſſus *maculam*, totaq; pura fui.

XLIV.

*Me puro re, vi, manu, ſignata cadite mala.*

QVando coronatis auguſta palatia ſurgunt
Orbis Principibus, ſceptrigeræq; domus;
Majeſtate ſua, Regum ſumptuq; fatentur,
Ingentes illis, quod famulentur opes.
Aula Dei Summi, quantò magis, inclyta Virgo;
Ditibus impenſis, quæ pretioſa ſtetit.
*Me puro ſignata Deo*, mundiſsima tota eſt;
*Re mala* cuncta proin, *vi cadite*, atq; *manu*.

XLV.

*Regina tàm munda, portæ Cæli via ſum.*

EX auro mundo poſita eſt, Vrbs illa beata;
Quam ſibi, & electis condidit ipſe Deus.
Omnia munda nitent, Vbi gemmea porta coruſcat;
Sed quis ad hanc portam, nobile fecit iter?
Mater ab æterno, *Reginaq;* ſemper amata,
Nulla cûi ſimilis, *tamq;* decora fuit.
Hûc ego mortales, vt mundo tramite ducam;
*Porta ſum cæli munda*, patenſq; *via*.

XLVI.

XLVI.

*Vti Mater pura, domus cœnæ almi Agni.*

AGnus in Orbe Deus, propriæ dum fercula carnis,
Quam de me ſumpſit Virgine, ferre parat
In cœnam populi, per vulnera ſacra redempti,
Sic *Mater* Chriſti, Virgoq; dulcis ait
Me ſibi delegit, quam condidit abſq; reatu;
*Vt* fierem ſedes, hoſpite digna Deo.
Hîc cibus eſt, conviva Deus; cûi Numinis *almi*,
*Agni* ſum *cœnæ*, factaq; *pura domus*.

XLVII.

*Veni o caſta Mater, an Dea! i purga limum.*

PLaſma ſacrum fuerat, quod primum dextra creatrix
E limo terræ fecerat, abſq; nota.
In maculam cecidit, ſordes animæq; pudendas
Contraxit; culpa dum graviore ruit.
Ille decor, vultuſq; animæ pulcherrimus ille,
Immundus terræ, nonniſi limus erat.
*O Mater* iam *caſta veni, an Dea*? ſanguine Ieſu,
*I purga limum*, ſic homo purus erit.

XLVIII.

*Apta, niuea, i ad me mortalem curſu Agni.*

MAxima quod faciant, celeres veſtigia cerui,
Hoc curſus, ſolita vi celeratus agit;
Agni ſed mites, non ſunt pernicibus apti
Paſsibus & longam currere poſſe viam.
*Ad me mortalem*, manſueti cur tamen *Agni*,
Vt *curſu* venias, te mea Virgo rogo?

I precor, o Agni cursu *niuea*, *apta* saluti!
Ad nos nam niueo, venerat ille gradu.

XLIX.

*Intemerata es Virgo, i da manum à culpa.*

CVlmine felici stetimus, dum gratia nobis,
Orbis in exortu, fauit amica Deo.
Res amissa brevi, vasto descendit hiatu,
Nec datur; vt lapsos erigat, vlla manus.
Nam temerè in culpæ maculam, succurrere lapsis,
Nonnisi sola potest, intemerata manus.
I proin o *Virgo!* sola *intemerata es* in ortu;
*A culpa* vt surgam, *da* precor ipsa *manum*.

L.

*Iam vale Virgo sacra, da manum petenti.*

PVlso fores, geminoq; preces, lachrymisq; rigata
Virgo cliens ad te, lumina tollo mea.
Lux oculis, animæq; deest; fac lucis egeno,
Corporis, atq; animi, sit sine nube dies.
Sæpè gradum fallo, decedoq; tramite recti,
Peccatis eheu, sæpiùs erro meis!
Ergò *manum*, lucemq; mihi, *da* quæso *petenti*,
Cumq meo Iesu, *iam sacra Virgo vale*.

LI.

*Ignara sum maculæ, ait denuò Mater pia.*

QVod cælo, terræq; patet, vastissima mundi
Machina quod loquitur, Styxq; quod ipsa sonat,
Diuinam Matrem, culpam nescire Parentum,
Exortuq; suo, non tetigisse notam;

Hoc quoq; sentimus, canimus, cedrisq; notamus;
Et per mille vices, hoc *pia Mater ait.*
*Denuò* id ingeminans, *maculæ sum ignara* fatetur;
Hoc & in æternùm, cælitùs illa canet.

LII.

*Merè iam sum pura, vnica ditata Angelo.*

VIrgineus candor, res est dilecta, beatis
Cœtibus Angelicis, solaq; dulcè sapit.
Angelicè viuunt, castæ qui mentis amore
Viuunt in terris, ceu sine carne forent.
*Angelo* ab æthereis, sic misso sedibus ad me;
Dulce sacræ Triados, qui mihi dixit Aue.
*Iam sum purà merè*, iam sum *ditata* supernè
*Vnica*; dum merui gignere Virgo Deum.

LIII.

*O Regia casa! iam manu Dei ruunt templa.*

HVmanam carnem Deus, vt de Virgine sumpsit,
In Bethleem nasci pauperiore casa,
Rex Regum voluit, modicas in stramine cunas,
Regum deliciis omnibus anteferens.
Tu templum Regale illi, soliumq; fuisti
O Virgo ( *casa* tu *regia*, digna Deo (
Ægyptum intrâsti, *iam dæmonis* impia *templa*,
Fracta *Deiq manu*, monstra pudenda *ruunt.*

LIV.

*Adiuua nos in meta, ô purè clara gemma.*

OMnibus in mundo, Viuendi terminus vnus,
Vnaq; nos mortis, meta timenda manet.

Hîc Rhodus, & saltus; sed formidandus, & in quo
Cardo rei nostræ, statq; , caditq; salus.
Hac *nos in metu*, gemitu quod poscimus alto,
*Adiuua*, & extremam fer pia Mater opem.
Nec fallit nos spes, *it purè clara*, micatq;
Nos in morte iuuans, vnica *gemma* Dei.

LV.

*Aptè munda, gyras cælum, veni armata.*

SI poteras gyrare polos, & flectere nobis
Sidera; cùm per te, venit ad ima Deus.
Pauperibus cunis, si se gyrare, beatis
Concessit manibus, delicijsq; tuis,
*Aptè munda* Parens, contra Titania monstra
Quæ *Cælum giras*, Bistonidasq; truces,
Nunc *armata veni*; te barbara sentiat Eos,
Sub pedibusq; tuis, Thracia luna cadat.

LVI.

*Venio dans Regi, Ciuem, arma apta multa.*

AVdio de cælis, succurro protinùs, & me
Christiadûm turmis iungo, tonante manu
Odrysias acies contra; fulmenq; paratum.
In caput Enceladi, vindiciasq; fero.
En *venio Regi* victrix inuicta IOANNI,
*Dans Ciuem* fortem, Martia corda virûm,
*Armaq; multa* nimis, felicibus *apta* triumphis;
Totus ut euerso, Thrax O[r]iente gemat.

LVII.

*En laus Deo Agna ait, vi Turcam perimam.*

IMmanes procul hinc, Asiæ, Pontiq; Molossi;
Quos Mauors in nos sanguinolentus agit;
Agnos vt Christi, rabieq; manuq; cruenta
Mactetis; nam vos non manet iste bolus.
*En laus* summa *Deo*, mitissima cælitus *Agna*,
Electas gentes vt tueatur, *ait*;
*Vi Turcam perimam*, populi gaudete fideles;
Tempus adest, rabidos vincat vt Agna lupos.

LVIII.

*Si me puram Natam, auo dicat Regni aula.*

REgni cælestis, nil maius continet aula;
Sit quamvis sedes, & thronus ipse Dei;
Puro Virginitas vtero, quàm quod mea clausit;
Clausit in humano corpore, quando Deum.
*Aula* igitur *Regni* cælestis, dicar ab *Æuo*,
Nec maius de me, dicere quisq; potest;
Quam *si me puram natam*, sine crimine *dicat*;
Talis enim decuit, Virginis aula Deum.

LIX.

*In vita Arcum Sultani premam, age o Dea!*

MAxima fers animis, Virgo solatia nostris;
Quando promittis, dulciter ore tuo,
Colla Musulmani, quod sis fractura Tyranni;
Ne populis, noceat, quos tua dextra regit;
Vitam ais, vt genui, *in vita* sic nunc pede fausto,
*Arcum Sultani*, cum iaculisq; *premam*.
*O Dea!* nam Mater Iesu, cum Bistone sæuo,
Hoc *age*, te Matrem nôrit vt esse Dei.

LX.

*Eas age ita pura corde, munita in malum.*

NOxia vis culpæ, nunquam tibi Virgo nocebit;
Quam præseruauit gratia summa Dei.
Hoc Clypeo semper, tantùm munita fuisti;
Vt tibi, vis posset nulla nocere mali.
Nunc *age* progredere in mundum, sine labe creata,
Atq; *ita pura* nimis, *cordeq̃* carneq; *eas.*
*In* quodcunq; *malum*; vt cùm iis *munita*, triumphes
Ex omni victrix, Immaculata malo.

LXI.

*I educ nos in vitam æternam. Agam pura.*

STella maris Virgo, medius in fluctibus orta;
Sed vasti culpæ, nescia sola maris
Pura micas, totum radiisq; nitentibus Orbem
Illustras; in te nam tua lux Deus est.
I ergo, *nos* luce tua, quod poscimus *educ*
*In vitam æternam*, lucida stella maris.
Audiit en Virgo; quod poscitis, hoc ego semper
*Pura* geram ductu, sic ait *Agna* meo.

LXII.

*I ergo, i puritas nata, munda me à macula.*

NAsci conditio dolenda nobis,
Peccati comitante nos reatu;
Quo cuncti premimur, simulq; vitam,
Et nostri simul auspicamur ortus
Ingentem maculam, Deo rebelles.
Felix conditio tibi Maria,

Soli congruit absq; labe nasci,
Conceptusq; tui carere noxâ.
Nam cùm viscera pura destinâsset
In te, summus amor, tuusq; Natus;
Matrem te sibi, puritate tanta,
Delegitq; modo, satis stupendo;
Vt nil par tibi, surgeret per æuum.
*I ergò* stupor Orbis, omniumq;
I purissima, *puritasq; nata*;
Vt primi vitio parentis in me,
Natales animæ minùs decoros,
Quidquid reddidit; & meis deinceps
Peccatis quod adhæsit heu malignum!
Abstergas precor. Alma puritatum
Sedes, Immaculata Virgo Mater,
*Munda me à macula*, Deoq; iunge.

LXIII.

*Mirè micas Diua tuta, à Pane Angelorum.*

INgens est tibi splendor, o Maria!
Quæ post maxima lucis increatæ
Fulges lumina, claritate tanta;
Quâ nec Seraphicum iubar, nec vlla
In Sanctis radiat corona lucis.
Vnde hæc gratia, luxq; tanta? quâ tu
*Mirè* pura *micas*, & Angelorum
Vincis lumina, Curiamq; Cæli.
Hæc est gratia, lucis ex abysso;
Quæ se visceribus tuis beati,

Carnis sub specie, modo stupendo
Infundens latuit, latetq; rursum
Panis sub specie. tremenda quando
Aris hostia fit Deus, cibusq; ,
Panisq; Angelicus cibans seipso
Dilectas animas Redemptor Orbis.
Hic Panis tibi destinatus, ante
Mundi secula, fecit vt niteres
Omni purior vna puritate.
Sic à crimine *Diua tuta* semper,
Conseruata Dei manu superna,
*A pane* hoc quoq; facta es *Angelorum*
Cælis purior; Angelis & ipsis,
Summæ clarior auge claritatis.

LXIV.

*En Dei Pane Augusta Immaculata miror?*

OMnîa tu, mundi superas miracula Virgo,
Augustumq; nihil, quod tibi par sit habes.
Ægypti non miror opes; Asiæq; stupenda,
Non mirorq; opera, & fana Pelasge tua.
Te *miror*, quæ sola Dei dignissima Mater
Facta es, & Angelici Panis in Orbe penu.
*Immaculata* Parens quod sis, *Augustaq;* Virgo,
*En* hic *Pane Dei*, stat tibi summus honos.

LXV.

*Arca Dei sum pura malo, venite Magnati.*

IVsserat ex altò Deus, vt Iudæa præiret
Agmina castrorum, militiæq; Duces,

Arca,

Arca, tulit quæ virgam Aaron, mandataq; legis
Diuinæ, Angelici dulceq; manna cibi.
Plùs ego gestaui, cùm de me Virgine natum
Gestaui Mater casta, pudica Deum.
*Arca Dei sum pura malo*; vos ergo *venite*
Post me *Magnati*, castraq; sancta Dei.

LXVI.

*Rogat culta verè immunis, i pœna Adam.*

HOrti vernantis, pulcherrima tota venustas,
Omnia delicii, florida dona sui
Sollicitæ debet culturæ; solaq; Floram
Pæstanis ornat, sedula cura rosis.
Horti tota sui, *verè* speciosa venustas
Quàm sit *culta* satis, dum pia Virgo *rogat*,
A maculæ cùm sit vitiis *immunis* amaræ,
Dedecus *i* procul hinc, *pœnaq;* labis *Adam*.

LXVII.

*Mane pura nata, sat mirè gaudium Cæli.*

LÆtitiæ fons sum cælestis, & vna voluptas,
Ipse voluptatis dulcor, amorq; Deus,
Exhilarans cælos, & gaudia summa ministrans,
Electis solus sufficiensq; meis;
Tu quoq; lætitiæ, Virgo sine labe voluptas
Conciplare mihi, *puraq; nata mane*.
*Sat mirè cæli* volui te *gaudium* habere;
Tecum gaudia sunt cælica, quando ego sum.

LXVIII.

*Piè gaudeas cælum, in tam mira natura.*

Men-

MEntes Angelicæ, ſacriq; cœtus,
Pſallentes cytharis, meloſq; dulce
Diuinam faciem ante concinentes;
Carmen nobile, carmen arte mira,
Plauſu compoſitumq; delicato,
Plectro ludite mille gratiarum;
Quando gratia, Virginem creauit
Naturâ ſimilem, paremq; nobis,
Gradu diſsimilem, ſed eminenti,
Summæ poſt Deum, & omnibꝰ ſtupendæ
Inter maxima dona ſanctitatis.
Dotès hîc animæ Deus beatas
Omnes depoſuit; ſimulq; iunxit
Quidquid Curia habet ſuperna magnum,
Pulchrum, nobile, ſuaue, gratiòſum.
Hîc virtus, pietas, amorq; ſummus
Ad faſtigia, puritaſq; venit
Inconceſſa alijs per omne ſeclum.
O ergo tua, mille ſuauitatum
Sumas barbita, *gaudeaſq; cælum!*
*In tam* Virgine Matre prædicanda,
*Naturaq; piè Deo* placente,
*Mira*, dotibus eminente tantis;
Quantas nulla, creata res abyſſo
Immenſæ Deitatis hauſit vnquam.

LXIX.

*Eua summa Lea pura dicit, regno amanti.*

AGna Deum peperit, mansueti pectoris Agnum;
Qui pro peccatis, hostia grata fuit.
Hæc eadem genuit, magnum Lea casta Leonem,
Qui tulit ex limbo, rapta trophæa Patrum.
Hæc *Lea pura* suo, sic Iesu *dicit amanti*;
*Eua* ego sum per te *summa*, sed absq; nota.
Si *regno*, per te Iesu dulcissime regno;
Si Lea sum? per te mi Leo, vinco Stygem.

LXX.

*Regna, o vita Immaculata, pariens Deum.*

VOce triumphali canimus, per mille Vicesq;
Dicimus o victrix! Io triumphe tibi,
Victrix peccati, vitæ Genitrixq; Maria;
Quæ puro calcas, Tartara victa pede:
Si vitam genuisse, tibi data gratia; per quam
Mors cecidit, quando mortua vita fuit.
Esto *vita* tuis, ex culpæ morte triumpha,
Et *regna pariens Immaculata Deum.*

LXXI.

*O mei cautè, alma munda Regina sat pura.*

MAtrem Diuinam, qui me pietatis honore
Eximio colitis, donaq; grata mihi
Fertis in obsequium; tot vestras dum mihi laudes
Congeritis, dulci carmine, voce, stylo;

De me concepta, primæua labe carente
*O cautè* ſerui, dicite quæſo *mei.*
*Alma* Dei ſum Virgo Parens, *Reginaq; mundi,*
Exortu vitæ *pura ſat* ergo fui.

LXXII.

*Mei en Agna Dei, vt ros pura Immaculata.*

VOs ego dilectæ mentes, deuotaq; corda
Alloquor, & rurſùm vos ego poſco mihi,
Audio zelatis, Conceptio quod mea pura,
Quodq; ſit ex omni parte decora nimis.
Hoc ſentite *mei,* pietas hæc ſecula vincet.
*En* quia ſum Ieſu Mater, & *Agna Dei.*
Ros matutinus, purus deſcendit in ortu;
Sic ego, *pura vt ros, Immaculata* fui.

LXXIII.

*Euam intactam lauda, puro ameris igne.*

QViſquis es, in laudes qui Virginis ora reſoluis;
Obſequium præſtas dulce, placenſq; Deo.
Perdidit Eua Parens, iuſtæ præconia laudis;
Dum non laudato crimine, tacta fuit.
*Intactam lauda* macula, tu criminis *Euam;*
Nempè noui fuerat, quæ noua Mater Adæ.
Hoc age, & hoc zela, *puroq;* ut *ameris* ab *igne;*
Sit tibi pro magna Virgine zelus, amor.

LXXIV.

*Mira puro igne, ſanè tu Dea Immaculata.*

VIſceribus caſtis, quem tu pia Virgo tuliſti,
Ieſus amor, totus flammiger ignis erat;

Arſerat hic ignis, noſtræ zeloq; ſalutis,
In tua ſe fudit Viſcera, Factus Homo.
Purus hic ignis, amor Diuinus; te quoq; *mira*
*Puro* ſuccenſam fecerat *igne* Deus.
Si Deus eſt in te, conſumens ignis amoris?
*Sanè* hoc *tu* igne calens, *Immaculata Dea* es.

LXXV.

*Manu Dei vngor, ac Ieſum pariam lætata.*

LEnticulam fundens olei, caput Vnxerat olim
Saulis, magna Dei cum Samuele manus.
Vnctio ſed breuis hæc; Saul poſtquam nempè receſsit
A Domino, periit; Rex licet vnctus erat.
Orbis ad imperium, ſemel vncta ego cælitùs; *vngor*
Omnipotente *Dei*, ſemper abindè *manu*.
Regnabo, *ac Ieſum pariam lætata*, quod in me
Vnctio ſit mea, fons lætitiæq; Deus.

LXXVI.

*A manu Dei es, ergo in partu Immaculata.*

VNdè tibi Virgo, cælis formoſior ipſis,
Tanta animæ ſpecies, tantus in Orbe nitor?
Vndè tibi vitæ, cryſtallo purior ortus?
Tantus & in partu, Virginitatis honos?
Hoc opus, humanæ non eſt inuentio dextræ;
A virtute *Dei es* tantum opus, atq; *manu*.
*Ergò* tuæ in partu Matris, ſine labe fuiſti;
*In partuq;* Parens *Immaculata* Dei es.

LXXVII.

*Nata nimiùm pura i, ſed macula à tergo.*

Poſt

POst lapsum, natura hominum mox facta rebellis,
Non potuit vultum sustinuisse Dei.
Voce Dei quæsitus Adam, fugit illicò vultum
Abscondens. Dominum mens rea nempè fugit.
In vultum secura Dei, tua lumina figis;
I felix! *nimiùm* tu sine labe nites.
*Nata* Dei faciem vidi; *nam* longiùs *iui*
*Pura* geram ductu, sic ait *Agna* meo.

LXXVIII.

*En ita it purum Ens, Adami à macula ergo.*

CÆlorum, terræq; Opifex, qui cuncta creauit
Entia; qui verbo continet illa suo,
Conseruatq; Deus, solus purissimus actus,
Ens summè purum solus, & esse suum.
Pura creaturis ex omnibus, vnica Virgo
*En ita it ens purum*, sicq; decora nitet;
Ens ceû sola Deo sit amabile. distat *Adami*
*A macula* primi criminis, *ergò* procul.

LXXIX.

*Cura Dei, alo Agnum, sum pia Immaculata.*

NAscitur in terris, quod gratia fecit, amorq;
Velatus nostra carne, latensq; Deus.
Hunc Pater æternus, prout ex me Virgine nasci;
Nutriri voluit, sic quoq; lacte meo.
Vberibus castis, sed lac, quod pasceret Agnum
Cura Dei, salua Virginitate dedit.
Ergò *Dei cura*, quia Virgo *alo*, Numinis *Agnum*,
*Sum pia*, sumq; Parens *Immaculata* Dei.

LXXX.

*Alata eo in immensùm, curà Dei purgata.*

COetibus Angelicis, quod me sublimiùs ire
Fecerit, eximii summus honoris apex.
Addidit hùc alas mihi, per fastigia rerum,
Gratia, par nulli, quæ data sola mihi.
Nam *purgata Dei curâ*, nec conscia labis,
Sic *eo in immensùm*, Matris honore Dei.
Seraphicos *alata* choros superansq; volando,
Vsq; Dei ad solium, pura columba volo.

LXXXI.

*Virgo per se nata, manu Dei Immaculata.*

COnditio vitæ mortalis, in Orbe requirit,
Cum lachrymis nasci, cum gemituq; mori.
Culpa dedit lachrymis ortum, gemituq; reatum
Testamur; quo nos vitaq;, morsq; gravat.
*Virgo* Parens Christi, sic *per se nata* triumphat;
Sola sit vt maculæ nescia, plena Deo.
Indiget haud lachrymis, cum sit purissima tota;
Nempè *Dei* facta est, *Immaculata manu.*

LXXXII.

*Eua clemens, pia, dat natum Virgo Maria.*

EVa parens culpæ, genuit iam labe gravata,
Innocui natum cordis, & oris Abel.
Sed tamen hic maculam non declinauit in ortu;
Prima licet fuerit, Victima grata Deo.
Ecce Parens Veniæ, genuit sine labe pudoris,
Et genitum casta Virginitate Deum.

*Eua pia*, ac *clemens, dat natum Virgo Maria.*
Hic fuſo cecidit ſanguine verus Abel.

LXXXIII.

*Ego munda in Ieſu, Immaculata reperta.*

TOta mihi ratio, puri candoris in ortu,
Conuincens animos, cordaq; cuncta ligans
Hæc eſt; poſt Chriſtum fuerim præviſa quod, ante
Noxam peccati; quâ vitiauit Adam,
Humani ſtirpem generis; ſed gratia Ieſu
Me præſeruatam fecit habere ſibi.
Sic *Ego* dum concepta fui, *Immaculata* remanſi;
*In Ieſuq;* meo, *munda reperta fui.*

LXXXIV.

*Mali mundani ego ſum via recta, aperta.*

GRande malum, quod culpa dedit, mundiq; ruinæ
Cauſa fuit, natus ſuſtinet omnis homo.
Hæc Via communis, dat nobis oſtia vitæ;
Non tamen ad Superos, hæc via, recta via eſt.
Mundani nam praua mali via, ſemper aperta;
Hæc via ſed mortis, ducit ad interitum.
*Mundani* ſine labe *mali*, via *recta* ſalutis,
Aſt *ego ſum* ſeruis, ſemper *aperta* meis.

LXXXV.

*Tu iam, tu mi Agna, re par es, in macula Adami.*

IMmenſo diſtant ſpatio, Deus ipſe Creator,
Reſq; creata, Dei quæ ſtetit orta manu.
Infinita Dei ſolium circumſtat abyſſus;
Omnia qui fecit, par nihil author habet.

Hic maculam nemo, peccantis quærat Adami;
*In macula par es, re tamen Agna Deo.*
Nam Deus vt nescit maculam; sic nescia labis,
*Tu iam, tu mi* sic, par potes esse Deo.

LXXXVI.

*Vitem veram dita, par Agno sine macula.*

DVlcis amor Iesus, se vitem dixerat olim,
Discipulosq; suos palmitibus similes.
Hæc vitis dulcedo mera est; hæc vitis amoris
Produxit suaves, nectareosq; botros.
Vt maculas tollens; sit nostra redemptio; Vitem
Hanc *veram dita*, sanguine Virgo tuo.
*Agno* tu *par* es *macula sine*, sanguine lota.
Nam Iesu fueras, criminis antè notam.

LXXXVII.

*Rectè palma sum ori, at magè vnda in via.*

VIncere peccatum, victoria maxima debet
Censeri, palmas solaq; ritè capit.
Palmas quid poscis? si culpa redarguit in te;
Proiectam mentem, suetaq; corda malo.
Vici peccatum, *rectè sum palma* triumphans,
*Ori* Diuino dulce canoq; melos.
*At magè* mortales, faciam vos vincere culpam,
*Inq; via* vobis, *vnda* salutis ero.

LXXXVIII.

*Virgo castè præmunita in maculam Adæ.*

HOc iterùm canimus, quod erit sine fine canendum;
Virgineas laudes, quod sine fine decet;

Con-

Contra peccatum fuerit quod Mater Iesu,
Cælestis dextræ, Numine tuta sacro.
Nil potuit labes, nil coniurata nefandæ
Vis Stygis, & quidquid crimina fæda sapit.
Est *castè Virga* nam *præmunita*, parentum
*In maculam*, primi quam nota fecit *Adæ.*

LXXXIX.

*I præi, mortem duc, vitam vel sana Agna.*

OMnibus electis, post Christum maior haberis;
Immensæq; prius tu Deitatis opus,
Pura tibi vitæ Conceptio, puraq; Matris
Integritas, purum Virginitatis ebur.
I felix, cunctisq; *præi* purissima Sanctis,
Tolleq; tu *mortem*, quam mala vita dedit.
*Duc vitam* Genitrix vitæ, fac *sana vel Agna*;
Vt per te sanet, vulnera nostra Deus.

XC.

*I, nam tu re pura es, Agno Dei Immaculata.*

PVblica spes in te, cæli Regina, salusq;
Vertitur, offensi dum calet ira Dei.
Dextera flammigeris toties armata sagittis,
In nos ex altò fulmina sæpè parat.
Actum est de nobis; quoniam peccauimus omnes,
Ireq; non puris, haud licet ante Deum.
I Virgo ante Deum, *nam tu re pura es,* & *Agno*
Tu data sola Parens, *Immaculata Dei.*

XCI.

*Veni dilecta, pura ama me, rogat animus.*

FIlius Æterni Patris, infinita poteſtas,
Immenſoq; Patri, par Deitate Deus,
Vt Verbum fieret *caro*, cum dictamine ſummo
Humani generis ſic ſtatuiſſet amor;
Impatiens *animus* tanti *rogat*, inquit amoris;
O *Dilecta veni, puraq; Mater ama*!
*Me* paritura Deum; nam puro victus amore,
In tua deſcendam viſcera, purus amor.

XCII.

*Augeas in me (puta Minorita) Deum clara.*

AVgeri Deus, ex ſua nequiuit
Immenſa Deitate; ſed popoſcit
Infinitus amor, ſaluſq; mundi;
Auctus carne Deus, ſtupente rerum
Natura vt fieret; tuis quod actum eſt
Caſtis viſceribus. Deum Virago
Auctum ſi poteras dediſſe nobis
Humana ſpecie; per illa mille
Te rogo oſcula, mille ſuauitatum,
Queis cor illius, oſq; ſuauiaſti;
Augmento pia Virgo gratiarum;
*En puta* tuus, hoc *Minorita* oro,
*In me* quæſo *Deum augeas*; vt intùs
Creſcat lux mea, puritaſq; cordis;
Cùm ſis o oculi mei medula!
Omni lux mea puritate *clara.*

XCIII.

*Si mundè à macula pariam? ergo intactè.*

Gra-

GRatia mi Iesu, mihi quod concesserat vni,
Orbis cùm nec dum machina facta stetit.
Virginitas vt casta mihi, cum Matris honore
Staret in æternùm, fœdere iuncta sacro;
Hoc me, conceptam faciet sine criminis vmbra;
*A macula mundè*, flore Virago Deum
*Nam si* Virgineo *pari am*; decet *ergò* Parentem
*Intactè* nasci, me sine labe tuam.

XCIV.

*Ergo alumna Iesu intacta, pariam Deum.*

QVis me nutriuit? quis pauit ab vbere primo?
Materni quando, nescia lactis eram;
Vita mihi cùm solus eras, dulcissime Iesu;
Inq; tua quando nonnisi mente fui.
Tu mihi pura alimenta dabas, *intactaq;* per te
Ante meos ortus, totaq; sancta fui.
*Ergò*, si fueram, tua *Iesu* Mater *alumna*?
Nunc ego te *pariam* Mater, alamq; *Deum.*

XCV.

*Patrona mea regnes, diù vt Immaculata.*

NIl moror inferni rabiem, nil fellea carnis
Gaudia, mundanas illecebrasq; nihil.
Vis quæcunq; mali, sæuis ex hostibus instet:
Aut in me rerum machina, fracta ruat,
Tu *mea*, tu *Patrona diù* fortissima *regnes*,
Sintq; æterna tui, Regia sceptra throni;
Vim Stygis, & culpæ, *vt* vinces *Immaculata*,
Palma mihi victrix, tuq; triumphus eris.

XCVI.

*Regna supra me, o! nitida, Immaculata.*

QVæ super Angelicos, nunc Augustissima cœtus,
Imperio regnas, sceptraq; summa tenes,
Cælorum Regina potens, sublimior omni
Maiestate Deo nonnisi sola minor;
Tu quoq; quæ terras regis, & dominaris Auerno,
En gemo sub pedibus, puluis, & vmbra tuis,
*Regna supra me,* o Virgo *nitida, Immaculata!*
Æuo, regnabit quo sine fine Deus.

XCVII.

*O Dei Mater pura! en vnica amatum ligas.*

REx Maiestatis Dominus, super omnia Regum
Maximus, immensus, principioq; carens,
Et sine fine Deus, libertas summa; nec vlla
Quæ circumscribi lege, modoq; potest;
Fasciolis stringi, circumscribiq; tenellus
Humana voluit pusio carne Deus.
*En o pura Dei Mater!* tu stringis *amatum*,
*Vnica* lactentem sola *ligasq;* Deum.

XCVIII.

*Catena summi Dei, Virgo nata almè pura.*

INfelix culpæ diuisio, vincula rupta
Inter mortales fecerat, atq; Deum.
Heu quam vasta diù, miseros arcebat abyssus!
A facie Domini, quàm procul exul erat!
Æterni reus exilij, dubiusq; salutis;
*Almè pura*, suum donec in orbe iubar,

Dum

Dum profert *Virgo*, terris cæleſtia iungens,
Aurea fit *ſummi, nata catena Dei.*

XCIX;

*Tu prima termina mala, cui es vade Agno.*

IN puncto factum eſt, quod nos de culmine rerum
Deiecit valido pondere, grande malum.
Hoc primum fuerat, ſed ſolum non fuit; inde
Quippè neceſſe fuit, tot mala prima ſequi.
Terminus eſt illis nullus. ſed neſcia culpæ,
Ortu Diua Parens concipiare tuo;
Hæc *mala primà*, mali culpæ, *tu termina*; & *Agno*
*Cui* data *es* in Matrem, *vade*, placeq; Deo.

C.

*I i ſecunda Eua, tam almo regna primatu.*

FÆminei ſexus primatum, cælitùs Eua
Prima Parens vitæ, primaq; noxa tulit.
Mox caſu grauiore ruens, faſtigia tanta
Perdidit, & facta eſt conſcia prima mali.
I Diuina Parens, *i* poſcimus *Eua ſecunda*,
Per te eſt, hic Orbi reſtituendus honos.
*Tam almo primatu*, Virgo puriſsima *regna*;
Poſt Chriſtum, nam te Virgine nemo prior.

CI.

*Plùs Eua datum Mariæ, ac termino Agnì.*

DOtibus eximijs naturæ fulſerat Eua,
Quando Dei manibus, pura creata fuit.
Ornauitq; illam præcelſis gratia donis;
Quæ tamen heu caſu! mox cecidere graui.

Diuinæ Matri, natæ ſine labe *Mariæ*,
*Plùs Eua* prima, cælitùs ecce *datum*,
Cæleſtiſq; *Agni* pietati, *ac termino* in illa;
Verbi Incarnati, nam fuit illa Parens.

CII.

*Minùs parùm gratiæ, in Eua cadet malo.*

OMnia dona tulit, cælo donante Maria;
Viſceribus caſtis, dum tulit illa Deum.
Ampliùs haud fuerat, gazâ quod ferret Olympi,
Si datus eſt illi, Filius ipſe Dei.
Eſt *minus*, atq; *parùm* primæua *gratiæ* in Eua;
Nam totum in donis, Eua ſecunda tulit.
Viuit *in* hac *Eua* ſi gratiâ tota? per illam
Culpaq; cumq; ſuo mors *cadet* atra *malo*.

# FASCIS IV.

CIII.

*NEGO maculam in vita, ſemper Diua rata.*

DIcite, ſi quid adhuc ſentitis; quos pia torquet
Ortus Virginei cauſa probata Deo.
Quod Deus in cælis, omni decreuit ab æuo;
Quis contra impugnet? quis neget eſſe ratum?
Numinis æterni Mater, decreta Maria,
*Semper* ab æterno, ſic *rata Diua* fuit.
Si rata ſic fuerat; iuſtè naſcentis in ortu, &
*In vita maculam* Virginis, ergo *NEGO*.

CIV.

*CEDO auſu Marte, Mater lumini pia Agna.*

Mars

MArs mihi, sed sacer est, pro te purissima Virgo;
*Marte* gero pro te, sed pia bella gero.
*Ausu* felici pugno, tua castra secutus;
Causa mihi pugnæ est, zelus amorq; tui.
*CEDO* de vita potiùs; quàm cedo triumphi
Labe carens Virgo, de ratione tui.
*Lumini* ab æterno, quod sis *pia Mater*, & *Agna*,
Hæc causæ palma est, immacu ata tuæ.

CV.

*DISTINGVO acumine mala à pura Matre.*

FElix ingenium, quod acumine mentis, id omne
Arcanum penetrat, quod docuêre Sophi,
Distinguens rerum seriem, formasq; modosq;;
Et dubium quidquid, soluitur arte Stoæ.
Omnibus at longè tua quàm felicior ars est!
Qui potes *à pura* dicere, *Matre* Dei,
Cælitùs edoctæ subnixus *acumine* mentis,
*DISTINGVO*, culpæ cunctaq; tollo *mala*.

CVI.

*TRANSEAT malum à pia, à Virgine cum Deo.*

PAlladis in campo certantibus arte Sophorum,
Transeat est verbum triste, mouensq; animos.
Cêu nihil oppositum valeat, momentaq; causæ
Non tollat, sensum diminuatq; rei.
Inter certantes pro magno Virginis ortu,
Transeat est verbum dulce, sapitq; Deo.
Si dicas *à* Matre, *pia*, atq; *à Virgine* sacra,
*Cumq; Deo* iuncta, *TRANSEAT* omne *malum*.

CVII.

*PRIVS à me data in nouam gratiæ lucem.*

ANte venenatos ictus, casusq; dolendos
Humani generis, tristeq; crimen Adæ;
Ante graues tenebras peccati; lucida tota
O Virgo fueras (labeq; tota carens.
Sic in mente mea Diuina, cælitùs *à me*
Es *data*, tota placens casta puella mihi;
*Inq; nouam lucem* tu *gratiæ* es orta; quid ergo
Post me purius, & te *PRIVS* esse potest?

CVIII.

*POST iam i viue, Agna Mater clarè munda.*

AGnus erat Christus, pro mundi labe futurus
Victima, quam solus nonnisi fecit amor.
Induit humanam carnem, dum maximus orbis
Conditor, inq; altam tollitur ille Crucem.
Decretum stetit hoc; sed quæ sis *Mater* ut *Agna*,
*I iam viue* mihi, dulcis amica Deo.
*POST* me Agnum mundum, qui tollo crimina mundi,
*Clarè munda* mihi, tu nisi Mater eris.

CIX.

*PRIVS ORDINE Tu electa i ama, amà Agnum.*

ORdo bonus cæleste bonum, de munere venit
Diuino, quoties ordinat Alma Trias.
Hoc *electa* bono fueras ex ordine rerum,
O Christi Mater (*tu* sine labe *priùs*.
Agnum tu sequeris, post quem præuisa fuisti;
Illi quæ fieres Immaculata Parens.

I felix, & *ama* priùs omnibus, & magè cunctis,
*Agnum* quem paries, i pia Mater *ama*.

CX.

*DIGNITATE prima, cælo summa, vna, vera.*

VIres ingenij, modosq; dulces
Sacri carminis, vt quid heu fatigas
Impar Musa ( quid in Dei Parentis
Ortus innocuos, stupore plenos,
Argumenta petis? satis, superq; est
Res hæc Angelicis probata verbis,
Sensus mysticus en probat seipsum.
Nam si rem mihi literæ loquuntur,
Quod sit, quæ genuit Deum Virago
Partu Virgine, *DIGNITATE primæ*,
Magni Numinis *vna vera* Mater,
*Cælo summa*, Deo minorq; solo,
Ortu quis neget hanc fuisse puram?
Primo crimine quippè si fuisset
Indignè maculata; non fuisset
Culpæ conscia, dignitate prima.

CXI.

*RE o tam pura Immaculata sanguine Dei.*

RE non sunt, quamuis interdùm pura videntur
Corda hominum, soli nonnisi nota Deo.
Multa homines fugiunt, latitant quæ mentis in imo,
Sed non effugiunt mentem, oculosq; Dei.
Ast tu, quæ dederas carnis velamina Christo,
Virgine de vena, sanguinis orta tui,

Sola Dei Genitrix, *o, RE tam pura* fuisti s
*Sanguine* quàm fueras *Immaculata Dei.*

CXII.

*RATIONE peculiari summa, magna vt Dea.*

MAgnos Prophetas, matris inter viscera
Fecisse Sanctos, à notaq; liberos
Originali, si placebat maximæ
Diuinitati; Matre de purissima
Quidni placeret. consecuta, quæ fuit
Honoris illud, quod per omne sæculum,
Ipsis negatum est Angelis fastigium.
Nil cogitari sub Deo maius potest,
Quam *magna* Christi, *summa* Mater *vt Dea.*
Ergò quis hanc *RATIONE*, præ cunctis data
*Peculiari*, non colat purissimam;
Hac puritate, quâ nitet nil purius.
Peculiare quidquid vspiam nitet.

CXIII.

*NATVRA sat pura lucida me Agno, me, me, i, i,*

SI Deus humanæ naturam sumere carnis
Constituit, saluus fiat vt omnis homo;
Illibata mihi naturæ gratia puræ,
Inconcessa alijs conditione data est.
*NATVRA* est *sat pura* mihi, sat *lucida*, quando
Principium exortûs est sine labe mei.
*Agno me* Matrem, *me me* tibi fac bone Iesu;
I i, sisq; Parens Immaculata mihi.

CXIV.

*TEMPORE luci das naturam, mi Agna, via.*

PVrus ab æterno meus eſt amor, ipſeq; puram
Te mihi delegi, nobile lucis opus.
Lux fueras in me, lucem paritura latentem,
Nube ſub humana me paritura Deum.
*TEMPORE luci das naturam,* lucida dum tu
Tota mihi, Virgo conciperiſq; Parens.
Agnus ego terris venio, de vertice cæli,
*Agna* meæ ſis *mi*, dux ſpecioſa *viæ.*

CXV.

*GENERE Diuino, clamita, amata, pura ſum.*

QVæ tibi maieſtas potior? quæ gloria magni
Sanguinis, & generis, clarior eſſe poteſt;
Immenſum tetigiſſe Deum quàm ſanguine puro;
Cûi de te veniens Immaculata caro,
Vincula tanta tibi, cum Chriſti ſanguine fecit,
Et clarum mira nobilitate genus.
*Divino GENERE* exultans, tu *clamita* in orbe,
En *ſum pura* nimis, Mater *amata* Deo.

CXVI.

*SPECIE tua, amori, almum regna, diù nata.*

AD regnum ſpecioſa poli Regina vocaris,
Magnus ab æterno ſceptra parata tibi,
Diuinus conſeruat amor, puriſsimus ille;
Cûi *SPECIE* poteras, ſola placere *tua.*
*I amor*, & ſceptrum da magnæ cælitùs *almum*
Reginæ, placuit quæ ſpecioſa tibi.

Tu *regna* quæ mente Dei concepta fuisti.
Verè nata Dei, tu quia *nata diu*.

CXVII.

*DIRECTE nego malum pura amata inuisa.*

ARgumenta mihi, pro Magnæ Virginis ortu,
Angelicum toties suppeditauit Aue.
Suppedidat rursùm: nam res gratissima cælo,
Prorsùs inexhausta est, mille reditq; modis,
Vt tantum coniuncat opus; si namq; Maria
*Pura* Dei Mater, Virgoq; *amata* fuit,
Si tam *inuisa* Stygi; *DIRECTE* iam *nego* rectè,
Peccati in tanta Matre fuisse *malum*.

CXVIII.

*INDIRECTE signo Eua parua malum amat.*

EVa superba, Dei dum spernit iussa tremendi,
Magna sibi visa est, conscia facta mali.
Hæc cecidit, traxitq; malum mortalibus omne,
Magna volens animo, iam propè nulla fuit.
Eua secunda dein, venit purissima Virgo,
Magna Dei Mater, paruula mente tamen.
Hinc *INDIRECTE signo*, nec dicere possum,
Ingens peccati, *parua amat Eua malum*.

CXIX.

*REDVPLICATIVE mirè summa Agna à Nato.*

HÆc tota laus est, Virginisq; gloria,
Sublimitasq; nemini per seculum
Concessa; quod sit vna non habens parem,
Maternitatis ex honore maximo;

Im

In carne Verbum quâ tulit nostra latens,
Deiq; Natum. cogitet quis, celsius
Nil cogitabit præ Mariæ gloria.
Quod *summa mirè*, quod *REDVPLICATIVE* eat,
Super creata quod triumphet omnia;
Hoc *Agna* ab Agno possidet totum suo,
Hoc dulcis *à Nato* Deo Parens habet,
Concepta quod sit omnium purissima.

CXX.

*TERMINATIVE magna celso, i pura vadam.*

IMmensa quamuis omniumq; maxima
Dei potestas, terminum potentiæ
Habere nesciat suæ; quâ condidit
Orbis stupenda, milliesq; condere
Maiora longè, dexterâ summa potest;
Sic eminentem celsitudinis gradu,
Et sanctitatis Vniuersæ gloriâ,
O Virgo Mater sic creauit te tamen (
Vt *magna celso, TERMINATIVE* propè
Deo creata sis Parens; quâ nil magè
In Orbe sacrum est, quod Deo sit gratius,
Humanitatem præter ipsam Filii;
Quam sumpsit ex tuo pudico sanguine.
I ergò *pura*, quæ terminum ponere
Videris immensæ Dei potentiæ;
Cùm nulla maior æuiternè surgere
Te Matre possit, atq; pura Virgine.
Iam dulcis, inquit, quò vocat me gratia

Maternitatis, Virgo labis inſcia
*Vadam.* ſed ad quem gloriæ tuæ thronum?
Mihi thronus, dulciſsimum cor Filij.

CXXI.

*POSITIVE re vnda, re magna Immaculata.*

VNda maris gemmas, pretioſæ munera conchæ,
Magnas ſub liquido tegmine, claudit opes.
Virginis integritas, cryſtallo purior omni,
Quàm verè dici poſtulat vnda maris?
*Re* maris hæc *vnda* eſt. nam gemmam continet vnam,
Diuini cordis nempe mouile Deum.
*Magna* proinde ſuo *POSITIVE* fulget in ortu,
Nomine, *req;* Parens *Immaculata* Dei.

CXXII.

*NEGATIVE maculata rues in primo Adam.*

HVmanæ quamvis naturæ, par tibi Virgo,
Nobiſcum fuerit ſors, eademq; caro;
Aſt animæ fuerat cæleſtis gratia diſpar;
Quam primæ labis non tetigere mala.
Si Matrem Ieſu, maculam neſcire decorum eſt;
Si decor ex anima, par tibi nullus erat;
Ergò *NEGATIVE* tu culpæ conſcia fies,
*In primoq; Adam tu maculata rues.*

CXXIII.

*COMMVNITER ita Eua pars in gula Adam.*

INfelix epulis peccati ſeruiit olim
Pomum, decerpſit quod ſcelerata gula.

In pomo commune malum gustauimus vno,
Morsq; in eo nostris faucibus hæret adhuc,
*Inq; Adam* periere *gula* *COMMVNITER* omnes,
Vnaq; *pars Euæ*, nos *ita* tristè grauat.
Non grauat, ast reficit nos magnæ Matris in ortu
Pars bona; nam mortis nesciit illa gulam.

CXXIV.

*SINGVLARITER pia canet: amoue Adamum.*

CAantus Angelici, choriq; dulces,
In cælisq; animæ canunt beatæ,
In terrisq; canunt creata cuncta,
Immensæ Triados decus perenne.
Non est gratior, ast tamen creati
Oris cantio, Numini increato:
Quam purissima dum canit Virago,
Carmen dulce nimis; quod è tremendo
Deduxit Solio, Patrisq; corde,
Filium Deitatis æuiternæ,
Naturaq; Patri, throniq; summi
Maiestate parem; sinu pudico
Magnæ Virginis vt lateret infans,
Verè factus Homo ex amore nostri.
Hoc Mater *pia* dum canit, triumphet
Tanto Numine, *SINGVLARITERq;*
Æternùm *canet*: vna, sola, pura
Quod sit; cùi licet absq; labe culpæ
Soli dicere; Virgo Mater orbi
Quando concipior; meis *amouè*

*Adamum* procul, à ſacris in ortu
Vitæ primitiis; Deo potenti,
Nam ſic complacui vna ſingularis.

CXXV.

*SPECVLATIVE Agnam Adami è natu miror!*

OMnia quæ fecit, cælorum ſumma poteſtas,
Rerum ſummus apex, principiumq́; Deus,
Quando oculo mentis, toto ſpeculamur in orbe;
Nouimus eſſe in ſe, magna, ſtupenda nimis.
Aſt *SPECVLATIVE* quidquam magis haud ego *miror*,
*Adami è natu.* quàm ſine labe mali
*Agnam* conceptam, ſanctè natamq́; Mariam.
Cur? quia Nata Dei, ſola fuitq́; Parens.

CXXVI.

*EVIDENTER iam clamat Agna, lo pura ſum.*

INter maxima ſigna gaudiorum,
Concentuſq́; ſacros, & inter omnes
Plauſus lætitiæ Orbis Vniuerſi;
Quos Conceptio Virginis beatæ,
Et puriſsima vita promeretur;
Paſsim dicitur, inſonatq́; paſsim,
Carmen nobile, dulce, gratioſum;
Quod Chriſti canit abſq́; labe Matrem
Conceptam, maculamq́; non habentem.
Hoc *iam* cælitùs *EVIDENTER* ipſa
*Clamat*, & canit *Agna* Mater Agni;
Toti dum patet euidenter Orbi;
Iuſtè quod niueo triumphet ortu;

Digna

Digna, quæ canat, *io pura* tota,
*Sum* concepta, Deo Parens Virago.
Hoc nos psallimus, & tibi Maria
Io dicimus, io pura viuat,
Quæ purissima Mater est Tonantis.

CXXVII.

*MATERIALITER pasco mundum Agna viæ.*

QVi pascit mundum Deus est, qui cuncta creauit;
Condere quæ potuit, pascere dextra potest.
Omnibus hæc alimenta dedit, seu corporis illa,
Siue animæ poscas, omnia promptus habes.
Materiem sumpsit carnis, quodsi Deus ex me;
In Sacramento quâ cibat ille homines;
*Pasco* ego sic *mundum* quoq; *MATERIALITER Agnæ*;
Æternæ quando fercula præstet o *viæ*.

CXXVIII.

*REALITER Eua pacis Agni amo mundatum.*

FActa rebelle caput, vetitis in fructibus Eua,
Fracto pacificum fœdere rupit opus,
Mandatum transgressa Dei, cæloq; repugnans,
Incœpit primi sæua duella mali.
*Pacis* amica, Deo subiecta *REALITER Eua*,
*Agni* Mater ait, fœdera pacis *amo*.
Agnus *mundatum* quia fecit sanguine mundum,
Hinc sum pacis ego Mater, & Agna Dei.

CXXIX.

*MODALITER nata anguem superaui mica.*

HEu modus infelix vincendi, vincere fraude;
Humani generis, quâ periêre Duces.
Mica voluptatis quos vicit, ab angue doloso;
Mica sed hæc nobis, heu inimica fuit!
Hoc non victa modo, sed *nata MODALITER* orbi,
Micam peccati nescio, Virgo canit.
Dum careo hac *mica superaui* fortiter *anguem*,
In me Styx micam, non habet atra suam.

CXXX.

*VIRTVALITER summa à Pane, dicame Agno.*

QVidquid gratia fecit esse summum,
Virtutum meritis, in Angelorum
Sacris cœtibus, ætheris Beati
Interq; agmina mille millionum,
Virtus, gratia, dignitasq; Matris
Diuinæ superat, nihil creatum;
Vnquam cûi potuit gradum tenere
Ex virtute parem. Tibi Maria
Vt Conceptio pura, sancta, nullisq; -
- Exæquanda modis origo vitæ;
Sic & gratia, sanctitasq; sic &
Maiestas data gloriæ perennis;
Nullus cûi pariter creatus vnquam
Respondebit apex, es vna, *summa*,
Electas animas, & alta vincis
Cæli culmina, *VIRTVALITERq;*
In te sola capis, liter quod vnquam.
Vnde hæc gratia? summitasq; tanta?

*A Pa-*

*A Pane* Angelico; tuis Beata
Quem tu viſceribus Parens tuliſti.
Panis cælicus, eſt hic Agnus ipſe
Dei Filius, hûic *dica* Agna Mater
*Agno me* precor, & ſatis, ſuperq;
Felix per Te ero, ſat Deo dicatus.

CXXXI.

RADICALITER *magna vna piè ſummè ouat.*

RAdix eſt vitæ conceptio, quam mala culpæ
Infecit labes; primaq; noxa grauat.
Peccatum vitiat nos radicaliter omnes,
Plantaq; de nobis crimine nulla vacat.
*Magna* Dei Genitrix, ſic RADICALITER *vna*,
De vitio primi, non fuit orta mali.
Hæc ortu fuerat, quoniam concepta beato,
Ipſa *piè*, & *ſummè*, quæ benè vicit *ouat.*

CXXXIII.

EMINENTER *Caſta, Pura oui, liga Adamum.*

NOn eſt Virginitas in orbe maior,
Vnquam nec fuit, & futura ſeclis
Haud eſt omnibus; ipſa Virginali
Vernans flore ſimul, ſimulq; Matris
Gaudens germine. ſola quæ Mariam
Tanto culmine fecit eminentem.
Hic eſt ſummus apex tui pudoris,
O puriſsima Virginum Maria!
Ad quem infantula labis, omnis expers
Quando conciperis, *liga* parentem

 *Ada-*

*Adamum*, tibi ne maligna culpæ
Ponat vincula; *Pura* Máter Agni
Sed ſis par vt *ovi* notâ carenti.
Sic tu *caſta* Parens, & alma Virgo
Vinces omnia; puritate quando
Viciſti decus EMINENTER omne.

CXXXIV.

*VNIVOCE Dei alma gemma, ſana parturit.*

INgentis pretii monile Virgo,
Cæleſtes capit vna gratiarum
Theſauros, Deitate ſic volente.
Ad ſummum decus eſt vócata quippè
Matris Virginis; vt monile cordis
Diuini ferat, & Patris medullam
Puris viſceribus. quid ergo mirum?
Ortu quod fuerit beata ſancto,
Labis neſcia; tota gratioſa
Magnis dotibus. hoc decebat illam,
De qua vox canit omnis VNIVOCE;
Quod ſit *gemma Dei* potentis *alma*,
Quæ noxa ſine, pura *ſana* tota,
Chriſtum *parturit* orbis vnionem.

CXXXV.

*ANALOGICE ſumma & pura Adæ, i Trinum.*

ILlibata Dei Mater, puriſsima Virgo,
Eſt collata Dei, gratia quanta tibi!
Vt nil poſt Ieſum ſit purius; vnaq; totum
Vt teneas, quidquid cælicus axis habet,

Ange-

Angelicas inter mentes, ciuesq; beatos;
Per priùs es proles sancta, parentis *Adæ.*
*Summa, & pura* Parens *ANALOGICE es.* i proin vnum,
Et *Trinum* Numen, te vocat ecce priùs.

CXXXVI.

*IDENTICE tu amor, summi Agna, Lea pura.*

AGnas mansuetas scimus, seuasq; Leænas;
Pax illis, ast his præda cruenta placet.
Quomodò pacifici cordis, dulcisq; Maria,
*Agna* Dei *summi* est, & *Lea pura* simul?
Agna Deo, metuenda Stygi Lea Virgo fuisti;
Quæ Mater gaudes Agna Leone Deo.
Si cum carne tui Nati, caro *IDENTICE* es vna?
Vnus in hac carne es, *tu* Deitatis *amor.*

CXXXVII.

*NVMERICE agnita summa Deo, i lata pura.*

ÆTerna magni Numinis mens omnium
Rerum creatrix, quidquid Orbe condidit
Toto, per alta siue cæli climata;
Seu per profunda quidquid vspiam maris,
Terræq; quidquid in cauernis abditum est,
Nouit, gubernat, ordinat, librat, fouet;
Amata sed tu cæteris plùs, & magis,
Sic & fuisti cæteris plùs cognita
O Virgo! quando *summa* tu Parens *Deo,*
Ante eligebaris, priùsquam machina
Stetisset Orbis, iam *NVMERICE* es *Agnita,*
Magnæ futura puritatis post Deum,

Et sanctitatis celsitudo maxima.
I ergo *lata pura*, cælis omnibus,
Orbeq; toto, seculisq; latior;
Deum licebat cûi habere Filium,
Et seculorum Conditorem gignere.

# FASCIS V.

CXXXVIII.

*GENERICE pura amata, ludo intima Musa.*

REdemptor Orbis, Nate mi dulcissime,
Maternitatis ad sacræ celsum decus
Qui me vocasti; Tu mihi fastigium,
Honoris æquè contulisti maximi,
Amoris æquè gratiam, mortalibus
Cunctis negatam. Tu *GENERICE* præ omnibus
*Amata pura*, plena mille gratijs,
Et inter omnes omnium purissima,
Vt Mater essem Nate mi dulcis tibi,
Ipse hoc dedisti, qui dedisti te mihi.
Hinc dulce carmen, & triumphum concino;
Hinc *ludo* tanquam *Musa* cordis *intima*,
Plectro sonanti; quo meum cor personat
O viue Iesu, viue dulcedo mea!
Viuamq; tecum amoris inter viscera,
Tuiq; Mater in medulla corculi.

CXXXIX.

*LOGICE Tu, idem innatè summa pura aura.*

Plùs

PLûs aurâ viuunt homines, quàm pane, ciboq́;;
Quæ bona si fuerit, corpora nutrit, alit;
Sed mala corrumpit, morbos, pestesq́; malignas
Gignit, & humanæ damna salutis habet.
*LOGICE*, & ex verò sensu rationis in orbe,
*Innatèq́* simul, quod mihi dicit *idem*;
*Aura* tibi, Virgo, cum qua *tu* nata fuisti,
*Summa* & *pura* fuit, gratia nempè Dei.

CXL.

DISTINCTE *Maria gemma aluo purè naua.*

GEmmæ sunt animæ, pretiosa monilia Christi,
Innocua vita, quæ placuêre Deo.
Omnibus his præstas DISTINCTE *gemma Maria*;
Vna, sed ex cunctis lecta, probata Deo.
Te sibi conceptam, distinxit origine mira,
Gemma tui cordis, Filius ipse Dei;
*Aluo* Virginea, quem *purè* quando tulisti,
*Naua* operam, vt niteat mens quoq́; pura mihi.

CXLI.

INDISTINCTE *lego vuam amaram, ea pura.*

QVæ plantata fuit, primo sub flore parentum,
Diuinis manibus, vinea pura fuit.
Vuas produxit de puro germine dulces;
Omnia peccatum fecit amara dein.
Hinc INDISTINCTE fructus periêre beati,
Dira fames turpi, morsq́; relicta gulæ est.
*Vuam* peccati, sed non *lego* Mater *amaram*;
Sola *ea* nam Christo, vinea *pura* fui.

CXLII.

CXLII.

*VT SIC nata Agna mirè pura, ea odi malum.*

O Felix odium! funestæ quod mala culpæ
Odit, amatq; Deo, quæ placuêre bona.
O si tali odio, primorum corda parentum
Flagrasſent! miser heu non cecidisset homo.
*VT SIC* hoc odio flagraui; *nata* proinde
*Agna* Deo *mirè*, *pura* placensq; fui.
Quo carui concepta malo, purissima tota,
Vt sic hoc *odi*, nunc *ea* pura *malum*.

CXLIII.

*VT TALE odi, amarum enim, Agni pura esca.*

PVra meæ fuerat quoniam conceptio vitæ,
Nulla venenati, me capit esca mali;
Quod primos homines gustu decepit iniquo,
Dulcia promittens, mox sed amara ferens.
Peccatum tale est, quod ego detestor, & odi
*VT TALE*, ex quo mors, perditioq; fluit.
*Odi*, semper *enim* fuerat fel mortis *amarum*;
*Esca Agni* puri, sed mihi *pura* placet.

CXLIV.

*MEDIATE Agno, re pura, sint Immaculata.*

ANnæ quando sinu Matris concepta tenebar,
Nullius culpæ conscia, pura fui.
Angelus è cælis, quando me dulciter illa
Voce salutauit, quâ mihi dixit Aue,
Pura fui; tenuiq; Deum sub carne latentem,
Virgineo gestans *Immaculata sinu*.

*Re* proin ex Christo *MEDIATE*, Mater & Agna,
*Agno pura* fui, nam mediante Deo.

CXLV.

*IMMEDIATE Agna nos ritè pura à macula.*

TE Deus augusto dignatus Matris honore,
Dum statuit Natum gignere posse suum;
Mox tibi decreuit conceptus vndiq; sanctos,
Vt procul *à macula, ritèq; pura* fores.
Post Christum fueras tu scilicet *IMMEDIATE*
Præuisa, illius casta futura Parens.
Agnum pura Deum quoniam sic *Agna* secuta es;
*Nos* pura facias te quoq; mente sequi.

CXLVI.

*COMPLETE Diuina sum Regina, vna amata.*

QVi maculam patitur, primo dum surgit in ortu,
Quamuis post niteat, grande feratq; iubar,
Non est completi decoris; nec Regius illi
Debetur, maculâ qui vitiatur honos.
*COMPLETE Diuina* throni *Regina* beati
*Sum*; quia collata est gratia plena mihi.
Gratia me fecit plenæ dulcedinis vuam;
*Vna* ego sum Mater dulcis, *amata* Deo.

CXLVII.

*INCOMPLETE viri Adæ sum Agna matura.*

FIlia sim quamuis de sanguine nata Parentum;
Quos commune malum, primaq; culpa premit;
Sum tamen exempti iuris, purissima tota.
Nescia dum noxæ concipiebar ego.

Culpa *viri* compleuit *Adæ* mala prima; sed in me
Hæc non compleuit, quam mala nulla grauant.
Hinc *INCOMPLETE* quoad hoc; *matura* sed intùs
*Agna*, Deiq; mei *sum* sine labe Parens.

CXLVIII.

*CAVSALITER Agna Panem mirum viæ dat.*

AGnus de cælis, carnis Velamine tectus,
Dum nasci voluit, Virgine Matre Deus;
Hic Agnus nos carne sua, pascitq; cruore,
Cùm se dat nobis, Pane sub Angelico.
Hunc *Panem mirum* Mater *CAVSALITER Agna*
Quem genuit, nobis causa beata dedit.
Hunc Panem mirum, Virgo mirabilis ipsa
*Dat* nostræ in cælos, fercula sancta *viæ*.

CXLIX.

*INTRINSECE da almum apum, i Eua rogata.*

MEllifluas qui nouit apes, decerpere florum
Prædulces succos, aptaq; dona fauis;
Nectar *apum* nouit, quàm sit de floribus *almum*,
Florida dum pratis vndiq; Flora viret.
Nectar apum prædulce gerens *INTRINSECE* es vna
Dulcis apis Christi, dulceq; nectar habes.
Vitæ præsentis tot spinas inter amaras,
*I*, *da* mellifluos *Eua rogata* fauos.

CL.

*IN ACTV PRIMO Maria veste valdè magna.*

LVx animæ, primo quæ te Vestiuit in ortu,
Diuinæ lucis fontibus, orta fuit.

Hinc

Hinc augusta tibi species, splendorq; stupendus,
Hinc maiestatis gloria digna throno.
Tantus *IN* hoc *ACTV PRIMO* decor, & iubar vnde?
Hinc, quia iustitiæ Sol tibi vestis erat.
*Veste* sub hac *valdè magna*, fac ergo *Maria*;
Vt serui lateant, crimina magna tui.

CLI.

*IN ACTV ALTERO, magna summè, i vade pari.*

QVis fuit hic actus, purissima Virgo, secundus?
Qui tibi, sub magno Numine summus erat.
Vt fieres Virgo tu *summè magna*, priorq;
Omnibus; vt cedant cuncta creata tibi.
Actus erat primus Conceptio pura; sed alter
Vt sit, cûi similis nullus honore *pari*;
*Vade* Deum parias, *i* fias *ALTERO IN ACTV*
Summè magna, Dei maxima nempè Parens.

CLII.

*IN ACTV SIGNATO per Adamum, i verè alma.*

QVod te signauit, Deitatis grande sigillum,
Quod Matrem voluit te statuisse Dei;
Hoc tibi signauit præ cunctis maxima dona;
Vt nullum tecum, certet in orbe decus.
Scilicet ista nouum tibi tradita sunt *per Adamum*;
Irrita qui veteris, crimina fecit Adæ.
Ergò *SIGNATO* quæ sublimaris *IN ACTV*,
*I verè* Magni Numinis *alma* Parens.

CLIII.

*IN ELICITO Agna, puraue Mater sum Adam.*

 Dum

DVm ſignata fui, Virgo ſine labe futura;
Dum me ſeclorum grande teneret opus;
Actu ſignato Mater puriſsima naſci,
Et decreta fui gignere poſſe Deum.
Agnus ab æterno Chriſtus decreuit; vt *Agna*
Purè conciperer, mox paritura Deum.
Sic & *IN ELICITO* poſtquam me condidit actu,
*Sum* dilecta noui, *puraue Mater Adam.*

CLIV.

*RELATIVE Dea Agni, matura, pia communis.*

ÆTerni dilecta Patris, tu Filia cùm ſis,
Caſta Parens Nati, Flaminis Alma Dei
Cùm ſis Sponſa; ſacram Triadem tu reſpicis vna,
Tot vicibus felix, totq; beata modis.
Sol: *RELATIVE*, Diuini tu tamen *Agni*,
Cur Mater quæſo, diceris eſſe *Dea*?
Nam *pia*, *communis*, *maturaq;* ceu Dea cunctis
Es, prout eſt Agnus Filius ipſe tuus.

CLV.

*SIMPLICITER munda, vua Agnore amata.*

NIl Deus admiſtum maculæ, puriſsimus ipſe
Cùm ſit, ferre poteſt, puraq; purus amat.
Quomodò munditiem cordis non diligat ille;
Quem pupilla animi, nonniſi munda videt.
Tu quoq; *SIMPLICITER munda* es, *re* Mater *amata*
*Agno* conceſſum quem genuiſſe tibi.
*Vua* non tactæ ſimilis mundiſsima cùm ſis,
Non fuit ex cunctis dulcior vua Deo.

CLVI.

CLVI.

*COPVLATIVE Dea Trina, mirè summa Agna.*

ESt Christ ianis verus, & Trinus Deus,
Fides, & ipsum dogma Christi quod docet.
Nullam sed esse posse nouimus Deam;
Quamuis Beatam nouimus Matrem Dei.
Purè creata res, tamen sic tollitur,
Dilexit illam sic Trias Sanctissima;
Sic *COPVLATIVE* stupendas gratias,
Fundens in illam copiosis alueis;
Mortale quidquid est, supergressa vt gradu.
Possit videri non dato mortalibus.
Hinc *Agna mirè summa*, *Trina* cêu *Dea*,
Dicenda venit; Trinitas quod maxima,
Diuinitatis hîc sacrarium sibi,
Compendiumq; dulce quoddam fecerit
Donorum, & omnis eminentis gratiæ.
Nam sic decebat, vt Deum quæ gigneret,
Humana vincens Virgo Marer omnia;
Tam sancta, pura, tam niteret candida;
Mortalis ac si non niteret, sed Dea.

CLVII.

*DISIVNCTIVE pomum ama, re Agna, re alta.*

COniunxit malo peccatum, quod tulit Eva
Arboris ex vetito germine, causa mali.
Infelix pomum, cum gustu mortis amauit;
Sic genus humanum perdidit omne gula.

 Tu

Tu felix *pomum*, Crucis inter brachia pendens,
Sed *DISIVNCTIVE*, nescia labis *ama*.
Nam sine peccato, *re* cùm sis *Agna* Virago;
*Re* quoq; sis alti Numinis *alta* Parens.

CLVIII.

*ACTV alteri pura, Deo enim sum Agna.*

NIl mihi cum macula peccati, nil mihi tecum
Styx inimica homini, Styx inimica Deo.
Ante tuos ortus, in cælis ante reatum,
Agmina de cælis quo cecidêre tua;
*Alteri* ego, qui me pulchram sine labe creauit,
*ACTV pura* fui, Filia, Sponsa, Parens.
Quid tentas immane caput? procul esto scelesté,
Dulcis *enim* iam *sum*, Mater, & *Agna Deo.*

CLIX.

*POTENTIA Dei, vniam carum, arguens mala.*

NIl orbe toto, seculis nil omnibus,
Æternitate nilq; tota longiùs
Cùm distet; infinita quam Sanctissimæ
Natura, maiestas, honos, & dignitas
Diuinitatis; & status miserrimus
Humanitatis; tota quæ merissimum
Ex se est nihil, vapor merus, fæx, vanitas;
En nascor Orbi, Mater *arguens mala*,
Originalis sola non complex mali;
Quæ res in immensùm tot ante seculis
A se remotas, mox *POTENTIA* Dei,
Iungam perennis vnione vinculi;

*Carum q;*

*Carumq́* Patris æuiterni Filium,
Verbum increatum, pro ſtupor! uunc creatæ
Humanitati Virgo Mater *vniam.*
Sic totus Orbis, tota ſic æternitas
Semper ſtupebit; tanta ſacris nexibus
Amor quod in me iunxerit diſtantia.

CLX.

*PRIMARIO en tua Agna, mi Deus actu almè.*

DVm tibi formabas hominem, Rex maxime Regum,
Qui fuit immenſæ, nobile plaſma manus,
Poſcebas vt cor ad te primariò haberet;
Aſt eheu primùm, cor dedit ille Stygi!
Fecerat hoc labes peccati noxia primum;
Sed ſine peccato, cor tibi dono meum.
*ACTV* ſi fueras mihi tu *PRIMARIO* amatus;
*En almè* iam ſum, *mi Deus Agna Tua.*

CLXI.

*SECVNDARIO agnita, Euam primam leuat.*

POſt Incarnati myſteria maxima Verbi,
Vertitur in quorum cardine, tota ſalus
Humani generis, quando decreta Maria,
Virgo Deiq́; Parens, Eua ſecunda fuit.
Sola *SECVNDARIO* eſt Triadi ſic *agnita* ſacræ;
Vt poſt Natum ſit, ſola ſecunda Deum.
Sic *Euam primam*, cecidit quæ crimine primo,
Ex infelici conditione *leuat.*

CLXII.

*NATVRALITER agam ſumma pace Dei vnio.*

Pax

PAx dilecta mihi, veræ ſum filia pacis;
Nam ſine peccato, pax mihi vera fuit.
Hoc ago cum Ieſu Nato, pax conſtet vt orbi;
Æternæ pacis, qui Mediator erat.
Hoc & *agam* ſemper; cùm *NATVRALITER* in me
Gratia pacificum fecerit ipſa decus.
*Summa pace* fruor, quia culpæ neſcio bella;
Hinc hominis vocor, ac *vnio* Sancta *Dei.*

CLXIII.

*VIOLENTER ſum Magni Dei, pura, ac amata.*

VIm patior nullam, nam me ſuauiſsima traxit
Gratia, mellito nectare traxit amor.
Hós dulces tractus, hæc dulcia vincula ſenſi;
Quando meum traxit, cor ſine labe Deus.
Eſt in amore tamen vis quædam, neſcia dici,
Vis nimiùm ſtringens, libera viſq; ſimul.
Sic *VIOLENTER* ego *ſum pura, ac* ſemper *amata*;
Hæc dulcis *magni*, vis in amore *Dei* eſt.

CLXIV.

*IN SE Arca viæ almi, porta Agnum Deum.*

ÆGypti prægrande iugum, nimiùmq; moleſta
Seruitus, quando nos ſine fine premit,
Pondere ſub tanto gemimus, tandemq; reſolui,
Poſcimus o *almi* gratia ſumma Dei!
*Arca viæ* nobis, quæ Chriſtum continet *IN SE,*
Ad patrios fac ſit, Dux benedicta lares.
Arca Viæ Virgo es; tu *porta* cælitùs *Agnum*
Arca *Deum*, noſtræ Dux erit ille viæ.

CLXV.

CLXIV.

*IN ALIO Tu pacta summa, re vera me digna.*

INfelix Adam, maledictum cum Styge pactum
Fecerat, heu primi factus origo mali!
Hoc perijt pacto, fœdus cum Numine rumpens,
Et cecidit generis tota ruina sui.
Cara mihi Mater, sed ab hoc exempta fuisti;
*INq; ALIO* pacto, *Tu* mihi *pacta* places.
Gratia *summa* tibi, Conceptio nescia culpæ;
*Re vera* magno, *me* quia *digna* Deo es.

CLXV.

*IN COMMVNI partu à te Adam Eua Regalis.*

OMnibus est partus communis, quos grauat vna
Omnes attingens, noxa parentis Adæ.
Hoc commnne malum, primo sortitur in ortu
Omnis homo, primi criminis estq; reus.
*IN partu* sed ego *COMMVNI*, nescia culpæ
Communis fueram, totaq; labe carens.
Ortus quippè meus, nil *à te* traxerat *Adam*;
*Regalis* fueram scilicet *Eua* Dei.

CLXVI.

*IN PARTICVLARI magna sum Eua, meta Deo.*

EVa parens culpæ, magno sublimia fastu
Appetijt nimiùm, facta proindè minor.
Humanum genus indè ruit, metâq; salutis
Excidit; vt placuit noxia meta Stygis.
Hos casus minimè sequor ast *IN PARTICVLARI*
*Eua* Dei summi, *sum* quoq; *magna* Parens.

Diligo eum summè, sic me quoq; diligit ille;
Meta mihi Deus est, sum quoq; *meta Deo.*

CLXVII.

*VNITIM Agno & Adæ, iam clarè pura sum.*

PRimus Adam, fuerat de terra, factus in orbe;
Sed de Virginea carne secundus Adam.
Hunc ego concepi, genui, purissima tota
Agnum; qui de me vellera carnis habet.
Hic cælestis Adam, simul & mitissimus Agnus,
Fecerat exortum labe carere meum.
*VNITIM* proin huic *Agno* ferat Orbis, *Adæq;*
*Iam clarè* Mater, *sum* quia *pura* Dei.

CLXVIII.

*DIVISIM Tu pura Agna, contere mea mala.*

GRatia conciliat pacem, sed culpa recusat,
Diuinæq; minùs fœdera pacis amat.
Vnitim reddit coniunctos gratia sensus;
Diuisim renuit culpa placere Deo.
Vnit amor, lacerat peccatum, cordaq; scindit.
Vnio nata Dei est, scissio nata Stygis.
Vnitim *tu pura* Parens, si Numinis *Agna* es?
Iam *mea DIVISIM, contere* Virgo *mala.*

CLXIX.

*Ama Iesum Virgo dilecta, nam ante pura:*

MAtris honore Dei, cælos vt vincis, & omnis
Pura creatura, est te sacra Virgo minor;
Electos omnes, & cuncta creata, necesse est
In te Diuinus, sic quoq; vincat amor.

Ergo

Ergò vbi Seraphicis cessant ardoribus ignes;
O *Dilecta*! sacro cordis amore tui,
*Virgo* Mater *ama Iesum* plùs omnibus vna;
*Ante*, omnes data *nam* gratia *pura* tibi.

CLXX.

*Partu Scoti niuea, ama rem dignam, vale.*

IMmaculata tuæ, cùm sit Conceptio vitæ;
Conceptus niuei, germine digna fuit;
Hunc pro te niueum, Deus ìnter dogmata partum,
Doctorem voluit progenuisse tuum.
Quis fuit hic Doctor, Te magna Virgine dignus?
Cuius erat de te scribere, digna manus.
Quis fuit hic Seraphin? qui pro te zelat, & ardet;
Et sacro de Te, totus in igne sapit.
Flammeus, ignitus, totus carbunculus, & fax;
Et quoties agitur res tûa, totus amor.
Quis fuit hic Seraphin? Solio qui Numinis adstat
Proximus, inq; Deo quæq; profunda videt;
Decretos sine labe tibi, qui viderat ortus,
Donaq; conceptus Immaculata tui;
Fasciolasq; animæ puras, cunabula pura;
Et quæ sugebas vbera pura nimis,
Lactis ab æterno niuei; quo gratia mater
Te pauit, sanctus teq; refecit amor:
Illud momentum qui vidit, sensit, & Orbi
Monstrauit calamo Virgine, voce, manu;
Quo tibi primæuam maculam subiisse negatum est,
Primaq; tota tibi; lucis origo data.

Qui tuus hæc vidit Seraph, ſub origine lucis;
Annon Seraphici filius ille Patris.
Ille tui Scotus, Virgo zelator honoris,
Ille tuus vindex, ingeniją; ſtupor
Centimanus pro Te bellator, Victor, & vnus
Pro cunctis, animæ maximus vmbo tuæ;
Pro qua dulce mori magis elegiſset, & omne
Quod torquet, pungit, quod cruciatą; pati;
Quàm minimum, puncti minimi, concedere punctum;
Quo non pura notæ, totaą; ſancta fuit.
Sic iuit pro Te, ſic prælia geſsit, & hoſtem
Sic vicit, nutu Virgo iubente tuo;
Dum caput inclinas Statuæ, mirabile dictu;
Annuis Heroi quando ſtupenda tuo;
Saxaą; ceu molles ceras dum flectis, & vrges;
Sentiat vt cordis ſymbola grata tui,
Momento raptus, loca qui diſtantia pro te
Viſit, & in puncto, pro ſtupor! ipſe ſtetit;
Hîc vbi cordatus pro te pugnauit Achilles;
Hîc vbi Virgo tuus, dum laceratur honos,
Argumentorum nodos ſoluiſse ducentos
Sufficit, & ſolus grande triumphat opus.
Tuą; in eo victrix, Puriſsima Virgo triumphas;
Tota triumphorum gloria, totus apex,
Et docti pro Te victoria tota laboris;
Ortus quod prima ſit ſine labe tuus.
Hoc de Te ſenſit, ſcripſit, docuitą;, docetą;
Subtili ingenio Scotus, & arte Sophûm.

Con-

Condidit hoc Doctor Subtilis amabile dogma,
Hoc germen niueo, parturiitq; sinu.
Si *partu Scoti niuea* es? quam secula nôrint
*Rem dignam*, niueo pectore Mater *ama*;
Iamq; quod æternùm de te mea carmina dicent,
Virgo, Deiq; Parens, Immaculata *vale*.

---

*In hoc, & altero Anagrammate, & Epigrammate, Annus chronographicè exprimitur.*

Vt aDIMpLeam rVinas regnI eam VoCata.
OrIgInalIter amata des panem cVm VVa.

*Vt adimpleam ruinas Regni; eam vocata.*

GRande nimis, primumq; scelus, dum turba rebellis
Fecerat in cælis, facta inimica Deo,
Cum tumido cecidit postquam percussa dracone,
Regno cælesti maxima damna tulit.
Huius ego *Regni*, post prælia sæua *ruinas*
Mentibus electis, quas Deus ipse vocat,
En *vt adimpleam*, ab æterno sum Virgo *vocata*
Hoc amor vt faciat, Mater amoris *eam*.

*Originaliter amata des Panem cum vua.*

QVos liliatis Diua Mater nexibus
Fasces ligatos, Messe de purissima
Tibi dicamus, Angelorum dexterâ;
Tuis ocellis poscimus suauissimis
Paruos labores, Magna Virgo respice:

Tuiſq; cincta, tu coronis omnium
Conceptionis innocentis faſcibus,
Vale, triumpha, millies ac millies.
*Originaliter* tuo dulciſsimo
*Amata* Filio, Patriq;, & Pneumati
Dilecta ſacro, viue labis neſcia,
Cor Trinitatis viue Sacratiſsimæ:
Meſsoribuſq; liliorum *des* tuis
Refectionis poſt labores gratiam;
*Panem* Angelorum, ſanguinis *cum* nectare,
*Vuaq;* dulci. Panis ipſe Ieſus eſt,
Et vua Ieſus. ſufficit meſſoribus,
Hæc ſola, cûi æternitas non ſufficit,
Immenſa, dulcis, vna, Ieſus portio.

# ACERVI LILIORUM MARIÆ,

## post Messes, & Fasces,

*Ex eodem Programmate*

Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum.

per ducenta Anagrammata

## Collecti,

*Acrostichicè Dispositi.*

# B. IOANNI CANTIO

*Anagramma Dedicatorium,*

Canti me Euam puram laudasti, io Regna!

## ACERVVS I.

Inimicitias, ponam inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuum. *Gen: 3. Vers. 15.*

### ANAGRAMMA I.

Ite pluries Anagrammata vocum, an Dei?
Noe delicatum me rigas anima tua pura.
Immaculata Virago, perennè vitam das.
Mirè elata es Virgo pia, nam actu munda.
Iam è natu Immaculato Dei, regnas partu.
Caro summi almi Dei, & Agnæ vna partu.
Ingenua Immaculata à me Deo parturis.

Taci-

Tacitè Euam Agna pura redimis Alumno.
Iam aula iam, pura gnato is rectè mundè.
Age iam re ſalua, puram Te dicunt omnia.
Sitiui Deum meum latè cara prona Agna.
Per Virginem mea cauſa, indulto amata.
Oraculum Virginis amatæ, pandet à me.
Nuntio certa prima gaudia mea, me Laus.
Almum natis dicite, Agna verè amo pura.
Murænulam artis Magni Dei, voca aptè.
Iam Tu mi Agna, luceas in Deo, Mater pura.
Niteo Muſæ re digna, pura Immaculata.
Tu mea mirè paris. Tu mea da vni lac Agno.
Ego Natum amarè ſcandalum ritè piaui.
Roſam Agni, me vi puram laudate, canite.
Tanti ſana Virgo Adami, mecum peruale.
En vaſta Deum cingo ei, alma parturiam.
En Mater, vadam Mater, ac oliua pinguis.
Tam munda pia vita, cælorum Regina es.
Mi vera Regina, iam luces, mundo aptata.
Uia lactea, magna mundities, purè amor.
Laus Regno Dei, cum iam tàm pura Nata ei.
I munda à macula, i regna, & Ieſum porta.
Ergo venis munda, à pari, & Immaculata.
Regno alma ſuprema, ea cum nitida vita.
En ita cui Virgo, dees? nam pura, nam alma.
Mi Mater, Agna manu Dei Patris, luce, oua.
I Dei Agna, primæua es, tu contra malum.
Portam ſumat, viæ cæli munda Regina.

Sum magna, ac purè Dei Mater inuiolatá.
Alma Agna, certè ſummo, vindemia Patri.
Columna Dei Mater Agna, impura euaſit.
O mi pura, mi Agnita, recta es, munda vale.
Nutrias gaudium cæli, mane peramata.
Tuum caput Maria, maris Dea, nega Leoni.
Euam necto piam, Reginam Auſtri lauda.
Reginam cælis nuptam, adi Eua mortua.
En mei, vna it ſumma Paracleto grauida.
Turpia deuita, almum ameris, Agno cane.
Currus Dei, Agna lætantium ama me pia.
Aut roga me intimè, ne culpa Adami ruas.
Pio mundum, vita alma, ac Eſter Regina.
Vitia materna, comprimens gaude Aula.
Tu purè Agna es, in Deo mari Immaculata.
Te Agnam caram iam Nati, erui lupo Deus.
Una de cælis, magna Mater, viuam Patri.
Ut Virago, vt Dei Parens, iam almè canam.
Maieſtate Dei pura Agna, cor vnum Almi.

## ACERVVS II.

Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter Natas Adæ. *Cant: 2. Verſ. 2.*

## ANAGRAMMA LV.

Sanguine Dei totam, puram amaui arctè.
I mecum Dei Virgo alta, nam purè ſanata.
Cupiui à Te, o Deus almam in terra Agnam,

**V**is de macula pomi, me Agna Nata, re ruit.
**T**u vna partu Dei mei, iam congeras alma.
**L**actaſti Deum, nam Virgo, nam ea, ei pura.
**I**t piè almus Amor, dat munera cuiè Agnæ.
**L**ætare mi Virgo pia, nam actu munda es.
**I** gemma pura, i renato lucta, dona Ieſum.
**V**i intacta, vel rara gemma, pando Ieſum.
**M**entem ſelatam, ac virus odi, Agna parui.
**I**ncepta Agna rara, melos meum audiuit.
**N**oluit impurum, dignè amata Cæſarea.
**T**anto Regi, vice mei, lauda puram ſanam.
**E**s Agno munita ædicula, mi pura Mater.
**R**e Agna, vi pura, timeat de camino malus.
**S**inai Virgo, leuat precantem Adamum.
**P**rotege à macula, nata munda, miri Ieſu.
**I**n metu ardua maculæ, piam ſonat Regi.
**N**um cedrus, num alata, i vi perge o amata!
**A**uis cæli, vt Dei mera, nam partu magna.
**S**apit Rege munita, orandum ei a macula.
**S**um Agna, vter Almo, ita carnem Dei paui.
**I**n via armata, aptè mundo, regis cælum.
**C**arnalem odit vitam, me vite pura Agna.
**A**more paruula, & magna ſum: canite Dij.
**M**agni Adam, Muſa certè purè inuiolata.
**I** munda, Eua immota, re apta, luci regnas.
**C**aro gemmea, vt pura Dei Luna, is amanti.
**A**gna Ieſu, vnda pro te mirè Immaculata.
**M**ea Tu Parens Diuina, ergo Immaculata.

Ego

Ergo [clamat Deus] in tua anima mirè pura.
Agna aut mare Leuiticum, das ori Panem.
Iam Rege pura, alauda, canit summo Enti.
Natam velatam, puram dico, Iesu i regna.
Tu vna piè & re, ignoras Adami maculam.
En iam vadis in tuto, clara, pura, gemmea.
Re putes Agno Dei Immaculata à ruina.
Nardum Carmeli, puto Agnam viæ, sat ei.
Agna Deum cælis Natiuum, rapit amore.
Tam pura, & summa, digna; Ara, cæli veni.
Angele, dictam Aram ponas vitæ, riuum.
Sic iam Tu amor, vna nata, de lege pura.
Arca de manu gentium eruis, ô ita palam.
Diva, alma, suprema, i notum Regiè canta.
Ædon mi amata, vna pia, reges relictum.

# ACERVVS III.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. *Cant: 4. Vers. 7.*

## ANAGRAMMA CI.

Tu mea Dei mei Agna, cara vna pro multis.
Ometa pura regens, Diuina Immaculata.
Tu iam regnas, Tu pia, dominare maculæ.
Agna tuta, iam paris cæli munera; Deum.
Palam Virgo, ritè amas Deum, vnicè Nata.
Virga sum Domini, luctæ, arma & pæan.
Lucens pura Eua immota, me digna Tiara.

Culpæ Adæ immunis, Virgo Mater nata.
Regnes pura, nam Immaculata; video ita.
Animata ædis, pura Regum cælitum.
Eua ita grata, i alma, nodum necis rumpe.
Sanè pura, nam & Immaculata Virgo Dei.
Amice? tremunt mali, viſa Agna, pura Deo.
Me Agno iam Tu lecta es, vi pura miranda.
In me vale Virgo; ita ſancta, per Adamum.
Certè non vilis gemma, pura amata Diua.
Agni Roſa pia, en vt cerua, it ad me malum.
Me laua, me intùs ritè pura, Agna, modica.
Eruo Déus cani, Virginem alatam aptam.
Amori dilecta vinea ſum, magna & pura.
En alta anima, pura geris vitam, cum Deo.
Tu re iam Agna Dei, vt racemus almo Pani.
Mi ſancta, pura, magna, video almè viret.
Auaro gemma periclitanti naue adſum.
Caſta purè Virago, luem innatam ademi.
Virgo Dei, en ſic amata, ante malum pura.
Laueras Agna dirè pomum, i Vate munita.
Ama Agna Deum, i turtur, cæli nam pia es.
Nato magni Dei almè pura viſa, at cum re.
O Immaculata! in via per Deum ſta, regna.
Natam puram à lue, natam dico Ieſu Regi.
En regis vitam, puram Deo, cui Nata alma.
Sacri dogma, Eua alma, Enti Entium pura.
Terræ clauam tuam imponi, gaude Sina.
Iouis intacta regna, rumpe Adæ malum.

Nostra, mea, Agna dicit viuam purè almè.
Tuta cæli Virgo perennis, Adamum ama.
Eua magna Deî sum, clara omni puritate.

# ACERVVS IV.

Dominus possedit me, in initio viarum suarum.
*Prouerb: 8. Vers. 22.*

## ANAGRAMMA CXXXIX.

Dilecta vestra Agna, noui me iam puram.
Omnia summè tradita; puræ luci, Agnæ.
Me Deo iam, iam Agna sit vt lucerna pura.
In te sim, cela me Agno pura, Diua natura.
Nitore Dei summè pura, i actu, Agna alma.
Virgo viscerum, aptè almè adamantina.
Sunamitida Agni, pro me curata, me leua.
Pia mirè tuta Iudam. cui? Rosæ. En Agnam.
O Immaculata Regina vni, præsta Deum.
Sinite, actu agam, Luna pariam reo Deum.
Sic en re Virgo natum Adam almè aptaui.
En Virgo Alma, aptè, virum Adam nesciat.
Dat iam lumen, nata, pura, coma eius Regi.
Iam pura luces, merita tua magna in Deo.
Tumorem curaui in Plaste Adam, ei Agna.
Minor Eua, ut rui esca mali, dempta Agna.
Eam velociter. Agna pura, summa nitida.
In dotem Iesu ritè pura, macula magna.
Natam Reginam, arte cum pio Iesu lauda.

I alma actu munda, Agno per merita eius
Notum casum nati Adami relegi, ea pura.
Intacta viuam Regi, sperno Adæ malum.
Tecum Adam, an in te prima Virago salue.
In almum surge Adame, i! pro Eua intacta.
O mi Ara, per te agnitus vadam in cælum.
Vna amata optima eligas, curre in Deum.
In lucta adiuua nos præi Marte gemma.
Agna & pia, en duram mortem vici, salue.
Rectè Agna ales, piaui immunda, mortua.
Vadam & pergam, cæli aut Numinis Ara.
Metuo, Tu pia, nam ea lucida armis regna.
Speculum in vita, Deo Mater Agna Maria.
Vtinam recta cælis, Agna Deum pariam.
Actu Agnam puram, nisi amor Dei eleuat.
Regalis ô Eua, cum mitra piè munda nata.
Vi eo sertum, Granij datum palam Agnæ.
Misi Legatum, à pura carne natum, io Dea.

# ACERVVS V.

Veni Immaculata mea. *Cant. 5. vers. 2.*

## ANAGRAMMA CLXXVII.

Veni Immaculata mea, partu rides Agno.
Eris Dea Patrum, Agno Immaculata veni.
Natis ergo Adam, purè Immaculata Veni.
Is Agna, per Deum orta, Immaculata veni.
I Agnus par Deo, Mater Immaculata veni.

Mare portas Dei Agna, Deo Immaculata veni.
Mater, priùs Agna, Deo Immaculata veni.
Agnum porta reis Dea, Immaculata veni.
Cometa Martis da alma, purga veni, veni.
Virago Panem trades, Immaculata veni.
Lata ſum pergam cordi, veni amata veni.
Agna pro Matre diues Immaculata veni.
Tremor Deus, Agna pia, Immaculata veni.
Agno Dei, Tu pars mera, Immaculata veni.
Mira prudens à Te ago, Immaculata veni.
Ens partu erigo Adam, Immaculata veni.
Amen das Virgo Patre, Immaculata veni.

Laus Deo Patri, Agna cantum mirè meaui.
Laus Nato Dei mei, cum iam ter pura.
Laus Deo Igni, cum mea trinè amata pura.

Paruulo Iesu, Magnæ Matri iam cedant.
Cedant amori Agnæ, ſumma è partu vili.
Cedant Mariæ ſumma, igitur vale pone.
Licet impar niſu, deuoue *Anagrammata*,
Pandens Immaculata viuet ergo Maria.

# In Nomine Domini Amen.
# ANAGRAMMATUM
## In quinq; Aceruos digestorum
*Et Epigrammaticè illustratorum*
# B. IOANNI CANTIO
## ANAGRAMMA DEDICATORIUM.
*Canti, me Euam puram laudasti; io Regna.*

GEmma Sacerdotum, niuei candoris amator,
Doctorum Craciæ gloria prima togæ;
Tu populi sapientis honos, tu regula vitæ;
Vna, sed æternùm non superanda basis.
Aurea tu fueras, Diuini lampas amoris;
Cor tibi fax ardens, & mera flamma fuit.
Tu Iesu, cordisq; mei dilectio CANTI;
Pars nostri gemitus, pars & amoris eras.
Vulnera quando mei, fuerant tibi dulcia Nati;
In Cruce, qui toto corpore vulnus erat;
Dumq; meas lacrymas, gladiumq; doloris acutum,
Corde tuo ferret compatiente dolor.
Hos inter gemitus, hæc inter vulnera cordis;
Voce tamen suaui, tu mihi Cygnus eras.
Annon, victa tui toties dulcedine cantus,
Ad te mi Canti, cælitùs ipsa veni?
Sed mihi præ cunctis dulcissima cantio, si fors
Quæ fuerit quæris? cor tibi pando meum.

Purus

Purus olor dulcore tuo, primordia quandò
Cantabas ortus immaculata mei;
Tùm cantare mihi, summa dulcedine gratum,
Angelicumq; melos, psallere visus eras.
*Euam me puram laudasti*, dogmate puro;
Vita tibi in terris, cùm sine labe fuit;
In cælis igitur, mecum suauissime Canti,
Io iam *regna*, iam cane dulcis olor.

# ACERVVS I.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuum. *Genes. 3. vers. 15.*

I.

## *Ite pluries Anagrammata vocum, an Dei?*

HÆc Oracula, cùm stupenda planè
Sint mysteria, Gabrielis ore
Quæ dixit Deus; vt reuoluat illa,
Millenis vicibus medulla cordis
Fas est. Oceani quis ex pusilla,
Mensuram tenuit fluente gutta?
Immensum quis in ordinem redegit?
Quod dixit semel increata virtus.
*Ite* ergo mihi, *pluriesq;* rursùm
*Anagrammata*, literis redite
Alternantibus: hoc opus perenne est;
Et lectissima portio, beati
Hæc est temporis; in nouos Aceruos,
Messem quæ tibi Virgo liliorum,

Inuento coaceruat erudito.
Non sunt scilicet, hæc profana vocum
Anagrammata pluries reducta;
Sed *vocum* sapientiæ supernæ
Sunt magnus stupor; *an Dei* loquentis
Verbum. ad quod silet orbis omne verbum.

II.

*Noe delicatum me rigas; anima tua pura.*

VNdarum rabidis Noé procellis,
Per latissima vectus æstuosi
Olim diluuii fluenta, perq;
Immanes scopulos, & æquor illud;
Orbis quod iuga mersit vniuersi;
Cæli Flamine dirigente, moles
Vicit fluctiuagas. Noé sed alter,
In ligno Crucis, arca cûi doloris
Fecit nauigium Redemptionis;
Fluctus sanguinei profunda sensit:
Hunc *Noe* priùs Arca Virginalis,
Quando visceribus tulit pudicis,
O quàm fecerat esse *delicatum*!
Hinc Matri loquitur; sacro rigatus
Lactis nectare; me rigas pusillum
Castis vberibus; Parens sed alma
O quàm dulcius! ampliùsq;! *pura*
*Me rigas anima tua!* inter ortus
Totam gratia quam Dei rigauit.

III.

III.

*Immaculata Virago, perennè vitam das.*

ANtidotum vitæ, medica virtute paratum,
Vitam labentem, si reparare potest;
Istud, quàm modicum est! fragili quàm nititur eheu
Momento! cum quo vitaq; spesq; cadit.
Tu maculâ noxæ, vitam sortita carentem,
Antidotum vitæ, sed melioris habes.
*Vitam das* alijs, quidni tu sola *perenne*?
*Immaculata* Deum, quando *Virago* paris.

IV.

*Mirè elata es Virgo pia, nam actu munda.*

QVid Cedros Libani, cælum tangentis Olympi
Culmina, & Atlantis brachia celsa canam?
Si tua virtutum, memorem fastigia Virgo;
Quæ tellus infert nubibus, infima sunt.
Virginitate tua, meritis, & origine vincis,
Gratia post Christum maxima, quidquid habet.
Hinc *mirè elata es Virgo pia*; Mater in ortu,
*Nam* fueras *actu munda*, creata Deo.

V.

*Iam è natu Immaculato Dei, regnas pura.*

REgia progenies Virgo, supereminet in te,
Stirpsq; Sacerdotum diceris esse sacra.
Ex vtroq; genus, clarum tibi cessit in orbe,
Sed genus, è cælo quod trahis, altius est.
Germen ab æterno fueras, in mente Tonantis;
Cùm decreta Deo in tempore, Mater eras.

*E natu* cùm ſis prognata *Dei Immaculato*
*Iam regnas* ortu, *pura* Maria tuo.

VI.

*Caro ſummi Almi Dei, & Agnæ vna partu.*

QVis capiet? quod ſola capis, quòd contulit in te
Gratia Supremi Numinis abſq; pari.
Carne Deus caruit, tu carnem Virgo dediſti
Verbo Incarnato, Flamine plena ſacro.
Hoc in te caſto de ſanguine, corpus Ieſu
Formauit, velum quod Deitatis erat.
Sic *almi, Summiq́, Dei caro* Matris & *Agnæ,*
*Vna* eſt in *partu,* pura caroq́; tibi.

VII.

*Ingenua Immaculata, à me Deo parturis.*

QVidquid habes puri, caſtiſsima Virgo nitoris,
A me, quod mea ſis, o mea Mater habes!
Si Reges Orbis, ſi quos ego faſcibus orno
Primates hominum, nomina digna throno,
Ingenuas quærunt Sponſas, maculaq; carentes;
Vis animi quibus, & par ſit in ore decor.
Tu magis *ingenua* es, tu Mater es *Immaculata*;
*A me* fœta *Deo,* nam *paris* vna Deum.

VIII.

*Tacitè Euam, Agna pura redimis Alumno.*

SEruam peccati, vinctis vt duceret Euam
Styx manibus petijt, nam rea mortis erat.
Hæc facies rerum triſtiſsima, totaq; luctu
Squallida, lætitiæ fontibus ecce ſcatet;

*Agna*

*Agna* Dei dum *pura* venis; dum lactis Alumnus
Ipſe tui Deus eſt factus, amorq; tuus.
*Euam* ſic *tacitè redimis* velut, hoc in *Alumno*;
Orbem nam redimit, qui tibi Natus erat.

IX.

*Iam aula, iam pura, gnato is rectè mundè.*

NOn erat in terris, cælorum digna Monarchæ
Maieſtate Domus, munditieq; nitens.
Hæc ubi peccati, fæx impuriſsima regnat,
Surgere non poterat, Regia pura Dei.
Conciperis Virgo, mortales plaudimus Io?
Principio exortus Immaculata tui,
*Is gnato iam pura* tuo, *iam* nobilis *aula*;
Tu *rectè*, & *mundè*, nam capis vna Deum.

X.

*Age iam re ſalua, puram Te dicunt omnia.*

ANngelicas mentes, Virgo ſi fortè requiris?
Purius ante Deum, te nihil eſſe, canunt.
Sidera ſeû poſcas (; præter te lumine puro
Purius in cælis, ſidus habere negant.
Tota creatarum ſeries, & machina rerum,
Ipſe etiam de te, hoc & Auernus ait.
*Omnia te puram*, Virgo puriſsima *dicunt*.
O *age iam*, *ſalua* es *re*, ratione, fide.

XI.

*Sitiui Deum meum, latè cara prona Agnæ.*

QVid clamas Virgo? ſi necdum naſceris Orbi;
Antè tibi vox eſt, quam tibi vita datur,

Quid clamas Agnum? si necdum surgis vt Agna;
Quid clamas? dum te viscera Matris habent.
Ante meos ortus Agnum, iam *prona sitiui*,
Scilicet *Agna Deum*, mox paritura *meum*.
Hoc clamat Virgo. cælo Deus audit, & inquit,
*Latè cara* sitis me quia Mater, habe.

XII.

*Per Virginem, mea causa indulto amata.*

SI bona causa valet, nunquam mala causa triumphat;
Causæ causa mala est, ipsa ruina suæ.
Pessima causa fuit, primus quâ concidit Adam;
Indulto nullo, surgere posse datum est.
Maxima Virgineo Indulgentia surgit in ortu;
Orbi cum Mater, nascitur Alma Dei.
Hinc Adam loquitur; Domino *per Virginem amata*,
*Indulto* surgit, iam *mea causa* bono.

XIII.

*Oraculum Virginis amatæ, pandet à me.*

RES arcana mihi est, stupeat quam machina rerum;
Grande Redemptoris, dum mihi surgit opus.
Mortales propter, quibus ista Redemptio seruit,
Mortali cupio, carne latere Deus.
Hùc mihi formandam, sine noxa destino Matrem;
Vt pariat culpæ nescia, Virgo Deum.
*Virginis* hoc in mente mea est, *oraculum amatæ*;
*A me*, quod solus nonnisi *pandet* amor.

XIV.

*Nuntio certa prima gaudia mea, me laus.*

Quam

QVàm ſit læta meæ, vobis Conceptio vitæ,
O animæ ſanctæ, grataq; corda Deo!
Res loquitur. nam ſic genuit me gratia puram;
Vt partu redeat gratia veſtra meo.
En *mea certa* mihi, dum *nuntio gaudia prima*,
Lætitiæ iungens, gaudia veſtra meæ,
Si naſcens Orbi, ſum nuntia prima ſalutis;
*Me laus*, & veſter iure ſequatur honos.

XV.

*Almum natis dicite, Agna amo, verè pura.*

LOnga ſalutiferi, quos expectatio Verbi
Excruciat; mortis quos rea culpa premit,
Mortales *almum* iam *natis dicite* Verbum;
Quod generi veſtro, gaudia mille ferat.
Lapſus homo, culpam cùm dilexiſset amaram,
Offenſi haud fuerat, dignus amore Dei;
Ipſe ſuo dignam, ſed qui me fecit amore;
*Agna* Deum *verè, puraq;* Mater *amo*.

XVI.

*Muræнulam artis magni Dei voca aptè.*

INter delicias, inter tot dulcia verba,
Inter tot laudes Virginis, abſq; modo
Quas illi debes, hominum natura refecta;
Digna Deum fuerit, quod genuiſſe tuum;
Inter cæleſtis pretioſa monilia gazæ,
Hanc *artis magni*, grande monile *Dei*,
Corde ſuper Ieſu, ſacri *muræнulam* amoris;
*Aptè* qui laudas, quiſquis amaſq; *voca*.

XVII.

XVII.

*Iam tu mi Agna luceas in Deo Mater pura.*

ORtu lucida puritatis Eua,
Quæ primo fuerat; Stygis dolosæ
Cessit fraudibus, & recessit eheu!
A lucis nitidissimæ, Supremo
Fonte, & Sole Deo, graui dolore
Humani generis. corusca donec
Cunctarum Cynosura gratiarum,
Inferret tenebris Maria lumen.
Hæc ortu Immaculata, pura, Sancta,
Quando concipitur, Deo creanti
Mirè dum placet, Author ipse dixit.
Hædos Eua prior cadendo fecit,
Et mentis iubar innocentis, ausu
Culpæ perdidit. ergo Mater Agnos
Vt mihi parias, notâ carentes
*Agna iam* mihi puritatis esto,
*Tu mi* cara Parens, marisq; stella.
*Mater pura* mihi *Deo*, tuisq;
Agnis, quos tibi puritas sacrauit,
Lux purissima *luceas* in æuum.

XVIII.

*Niteo Musa re digna, pura Immaculata.*

NOn ego Pierides vobis, Phæbiq; sorores,
Argolicæ quondam, nomina vana lyræ,
Castalios circum latices, Cyrrhæq; fluenta
Diuæ, quas constat iam nihil esse merum.

Chri-

Christiadûm sanctæ vobis sed nuntio *musæ*;
Hoc canite æternis, hoc geminate modis;
Quòd *niteo, re digna* Deo purissima Mater;
Ortu nam sum *pura, Immaculata* meo.

XIX.

*Tu mea mirè paris. Tu mea da vni lac Agno.*

VT mirè Virgo fueras concepta, reatus
Nescia; quod decuit me tibi velle Deum;
Sic Natum fœcunda meum, pariterq; pudica,
*Tu mirè* Mater, castaq; *Virgo paris.*
*Tu mea* præ cunctis, ortu, vitâq; mereris
Digna Deo dici, Filia, Sponsa, Parens.
Tu *mea* Virgineo partu quia diceris Agna;
*Vni lac Agno, da* speciosa meo.

X X.

*Ego natum amarè scandalum ritè piaui.*

SCandala mille dedit, prîmum quæ scandalum in orbe
Excessu primo, fecerat Eua parens.
Hinc omnes sanctam, quotquot vixêre deinceps,
Corrupêre viam, dum mala prima placent.
Præseruata Dei manibus, non nascor *amarè*;
Tam puro natu, sed benè nascor *ego.*
*Scandalum* in exortu, quia sanctè & *ritè piaui*
Sancta Parens *Natum*, quàm benè gigno Deum.

XXI.

*Rosam Agni me vi puram laudate, canite.*

QVæliit in spinis, me primam sanguine fuso
Agnus, quem genui casta puella Deum;

Huius ego meritis, & dira morte redempta
Prima fui, tanto prima cruore rubens.
Dulce coronari spinis fuerat, modò *puram*
*Me vi* spinarum, redderet ille rosam.
Ergò omnes post me, *canite & laudate* redempti,
*Agni* de spinis, me sine labe *Rosam.*

XXII.

*Tanti sana Virgo Adami, mecum peruale.*

QVàm rectè valuit, primæuo conditus ortu,
Corporis, ac animæ robore, sanus Adam.
Incidit in morbum peccati protinùs, æger
Factus, & in tota posteritate gemens
Niq; nouus venisset Adam, saluare iacentem;
Non surrexisset criminis ille thoro.
*Tanti Virgo* Parens, tu *sana* es Mater *Adami.*
*Mecum peruale*, & o tu mea viue salus.

XXIII.

*En vasta Deum cingo, ei alma parturiam.*

MAchina cælorum, quamvis ingentibus auctos,
Orbes tot spatiis, circuitusq; ferat;
Non capit Immensum, cælos qui condidit ipse,
*Vasta* mole Deum, nec valet ille capi.
Gratia quanta mihi? capio quæ sola Tonantem,
*En* velo carnis, *cingoq;* casta *Deum.*
Quid maius? Natum si Magni Numinis, *alma*
Mater *ei* casto germine *parturiam.*

XXIV.

*En Mater, vadam Mater ac oliua pinguis.*

CRimen Adæ, rupit Diuinæ fœdera pacis;
Quando subiectus maluit esse Stygi.
Tunc oleam pacis, vesana rebellio fregit;
Eua genus peperit, quando rebelle Deo.
Me Iesu similem, speciosæ dicis oliuæ;
Hoc vt in æternùm, conciliare queam;
*En Mater vadam*, coram te, ac *pinguis oliua*:
Tu Rex es pacis, Regia *Mater ego*.

XXV.

*Tàm munda pia vita, cælorum Regina es.*

FAscibus imperij, pietas dignissima virtus,
Grata Deo, Regni conueniensq; throno.
Qui pius in Superos, qui se communicat vltrò,
Impenditq; alijs viscera amoris habens,
Hic solio dignus. nam quem pia vita coronat,
Maxima, pro cunctis, ipse corona sibi est.
*Cælorum Regina es*, nam lux aurea Sceptri
*Tam* tibi *munda* Parens, quàm *pia vita* nitet.

XXVI.

*Mi vera Regina, iam luces, mundo aptata.*

ORbis ad exortus primos, dum cuncta creabam,
Aptaui mundo lucis in auge iubar.
Sol stetit, & iussus fons luminis esse diurni;
Cynthia nocte micans, fax quoq; iussa stetit.
Hæc tamen exsuperans, lucis *Regina* beatæ,
Clariùs his *luces*, *iam* mihi *vera* Parens.
Tu magis *aptata* es *mundo*; nam lux ego mundi,
De te *mi* Mater, sum Deus ortus *Homo*.

 XXVII.

XXVII.

*Via lactea, magna mundities, purè amor.*

AGnum cælestem, qui lilia pascitur inter,
Quâ niueus sequitur Virginitate chorus,
Quæ via sit quæris? via lactea Numinis esse
Omninò debet, candida, pura, nitens.
Lacte Deum pauit, quoniam purissima Virgo;
Hæc illi *via* sit *lactea* tota, decet.
*Munditiem* hæc *magna*, Deum lactauit in orbe;
*Purè* quam genuit purus, & vnus *amor*.

XXVIII.

*Laus Regno Dei, cùm iam tam pura Nata ei.*

REgnum Diuinum, cum dextera summa parâsset
Mentibus electis, Angelicisq; choris,
Laudem non habuit: res laudatissima plenam,
Angelus in cælis, dum tumet, atq; cadit;
In terris dum peccat homo, radiceq; tandem
Impura nasci, nil sine labe potest.
*Iam laus* plena *Dei Regno* est; *tam pura* Mariæ
*Cùm* sit *ei* proles *nata*, Parensq; Dei.

XXIX.

*I munda à macula, i regna & Iesum porta.*

VIrgineæ dum prima fuit, conceptio vitæ
Facta per æthereas nota, sonansq; plagas;
Spiritus Angelici, lætis concentibus illi
Applausus dulces, mille dedêre modis,
Expectata diù, cælo dilecta, soloq;
*I munda à macula*, solaq; labe carens.

*I Re-*

*I Regna*; Regem Regum paritura Virago;
*Et Porta Iesum*, baiula digna Deo.

XXX.

*Ergo venis munda à pari, & Immaculata.*

NIl mortale Deo par est, quod germine puro
Portet eum, humano corpore quando latet.
Gratia sola parem poterat fecisse, sed vnam
Te Matrem; cûi tam viscera pura dedit;
Vt portare Deum, carnis sub nube latentem
Possent; quod stupeant secula nulla satis.
A virtute *pari* Diuina, quod tibi factum est;
*Ergò munda, &* ob hoc *Immaculata venis.*

XXXI.

*Regno alma suprema, ea cum nitida vita.*

QVi nitet interiùs pura qui mente coruscat;
Rex hic est animi, maximus ipse sui.
Sic regnare diù, primos nota prima Parentes
Non passa est, orbis dum tenuêre thronum.
Cum nitida vita, sors est pulcherima regni;
Regius impuris iure negatur apex.
*Alma* Dei Mater, *regno* Regina *Suprema*;
*Cum nitida vita,* namq; *ea* sceptra gero.

XXXII.

*Et ita cui Virgo dees? nam pura, nam alma.*

QVis peccatorum, gemitu suspiria cordis
Contestando, tuam Virgo poposcit opem,
Cûi tu defueris? sis quamuis ipsa reatus
Nescia, nec maculæ succubuisse queas;

Compateris lapsis, succurris, viscera pandis,
Irati vultum conciliasq; Dei.
Certè, & *ita* est, veniæ Mater *nam* sis licet *alma*;
*Nam* sis *pura* licet, *cûi* pia *Virgo dees*?

XXXIII.

*Mi Mater Agna manu Dei Patris, luce oua.*

QVi te formaui, qui te de labe Parentum
Eripui prima, Natus, amorq; tuus,
Vt fieres lux tota mihi, tenebrisq; careres,
Decreto volui, sic statuisse meo.
Lux ego sum, splendorq; Patris; Tu lux mea Virgo;
Nec primi nocuit criminis, vmbra tibi
A *Patris* æterni, *mi Mater*, *luce* corusca,
*Agna Deiq; manu*, Filia lucis, *oua*.

XXXIV.

*I Dei Agna, primæua es tu contra malum.*

EXortu niueo, primæuam ducere vitam,
Debuit innocuis moribus, Eua parens.
Nam contra lethale malum, quod suasit Auernus,
Præstò fuit ratio clara, timorq; Dei.
Non tamen hæc, potuêre malam vitare Charybdim;
Ad scopulos casu, sed cecidêre graui.
I proin *Agna Dei, primæua es tu* quia facta,
*Contra* peccati, turris ahena *malum*.

XXXV.

*Portam sumat, via cæli munda Regina.*

PEccatis hominum conclusæ, proh dolor! olim
Portæ æternales, non patuêre diù.

Ascen-

Ascendens cælos Christus, pulsare coactus
Ostendit, quàm sint claustra negata poli.
Sustulit ad Superos portam; vis noxia culpæ;
Cælestem è terris, perdidit illa viam.
*Munda via cæli, portam Regina* Maria
*Sumat*; vt electis stet sine fine patens.

XXXVI.

*Sum magna, ac purè Dei, Mater inuiolata.*

NEmo meas dotes, nemo præconia laudum,
Mortali cura dixit, & ore satis.
Cogitet omne decus, titulos, orbisq; coronas;
Angelicumq; etiam cogitet ille iubar;
Quodq; Deo minus est, in laudem congerat vnam;
Est maius, tribuit quod Deus ipse mihi.
Hoc nihil est maius, quàm quod *sum magna* Supremi,
*Ac purè Mater sum, inuiolata Dei.*

XXXVII.

*Alma Agna, certè summo vindemia Patri.*

VIrginitas fœcunda mihi, cum germine Sancto,
Fructum, quo maior non fuit, ipsa dedit.
Namq; manu plantata Dei, conceptaq; purè,
Purum, quod genui casta puella, fuit.
Scilicet ipse Dei Natus, purissimus Agnus;
*Alma* ego quem mundo Mater, & *Agna* tuli.
Sum *certè* dilecta *Patri vindemia Summo*;
Nam botrus est ex me, Filius ipse Patris.

XXXVIII.

*Columna Dei, Mater Agna, impura euasit.*

Nascen-

NAscenti mundo, stabilem Deus ipse columnam,
Ortus innocui conditione dedit.
Gratia visa fuit, Ciues firmâsse nouellos;
Sed constans in ea, non tenuêre caput.
Qui Stygis infirmæ, nixi cecidêre columnæ,
Impuroq; hausti, delituêre malo.
Hæc *impura* mali, felix *euasit* in ortu,
*Agna Dei Mater*, nempè *columna* fuit.

XXXIX.

*O mi pura, mi agnita, recta es, munda vale.*

PVlcher honos, animæq; tuæ decor, o mea Virgo!
Notus in æterna, qui mihi mente fuit,
Ille meos oculos, & viscera cordis anheli,
Cælitùs in terras traxit, & ecce veni.
Ad te deproperans, immenso cuius amore,
*O mi pura!* decus Virginitatis amo.
Tu mihi de cælis, via *recta es*; dumq; reuertor
*Agnita mi* Mater, *mundaq;* tota *vale*.

XL.

*Nutrias gaudium cæli, mane peramata.*

QVod nutris, mea, lacte Virginali
Virgo delicium? Patris superni,
Non effabile, sed latens pusillo
Verbum corpore. quanta gratiarum
Hæc est gratia? quantus hic pudici
Cordis iubilus? vberum gemello
Quando fonte Deus scatente sugit
Nectar Virgineum. quis inde cæli

Narret gaudia? vel quis Angelorum
Dulces cogitet, explicetq; plausus?
Ecce pendulus est amor, rigatq;
Os Iesus roseum, quod in mamilla
Fixit Virginea. ecce qui creata
Pascens omnia nutrit, ipse guttam
Poscit lactifluam, sititq; totus.
Castis vberibus Beata Mater,
Ergo fac age, *nutrias* perenne
*Cœli gaudium*, & Orbis vniuersi,
Hac in prole tua. *maneq; toti*
Mentis lilia propter innocentis,
Immensæ *peramata* Trinitati.

XLI.

*Tuum caput Maria, maris Dea nega leoni.*

FAucibus expansis, Leo dum sæuissimus instat;
Ortus vt laceret, Virgo Beata tuos;
Tunc mea, peruigiles agitat custodia pro te
Excubias; ne sis offa dolenda Stygi.
Quas vomit ore truci, flammas extingue nocentes;
Cùm *Dea* sis puri, Virgo *Maria maris*.
Sacra *tuum caput* est conceptio; pura *leoni*,
Tu maculæ victrix, hoc caput ergo *nega*.

XLII.

*Euam necto piam, Regiam Austri lauda.*

VIncula quæ meruit, post lapsum criminis Adam,
Solvere quis poterit? si reus ille mihi.

Tota catenati generis, gemit vndiq; proles;
Ipsa sibi nectit culpa, quod ipsa gerit.
*Euam necto piam*, sed amoris compede necto;
Vt fiat liber, carcere vinctus homo.
Hanc *Austri lauda Reginam*; liber vt extes
Placato per eam, me Salomone tibi.

XLIII.

*Reginam cælis Nuptam, adi Eua mortua.*

NVpta fuit terris, de costa sumpsit Adami,
Quam primam nuptam, conditor ipse Deus.
Coniugium vitale fuit, dum gratia vitam
Inspirans vixit, sed peritura breui.
Nupta fuit cælis, purissima Virgo Maria,
Diuinus Sponsam, quàm sibi fecit amor.
*Reginam nuptam cælis* hanc, *Eua* reatu
*Mortua*, si cælo viuere poscis, *adi*.

XLIV.

*En mei, vna it summa Paracleto grauida.*

HVc oculos, aures&q; pias, & pectora casta,
Sanctæ animæ, cælo nomina lecta, date.
Mystica res, ignota solo, cælisq; stupenda
Exoritur, quam me velle poposcit amor.
Hoc audite *mei*. iam quæ sine labe pudoris,
Corpore vestitum est, *en* paritura Deum,
*Vna Paracleto grauida* est, & *summa* Virago,
*Itq;* dein Matrem, non habitura parem.

XLV.

*Turpia deuita, almum ameris Agno, cane.*

VT mihi præ cunctis, tu formosissima Virgo,
Conceptu fieres Immaculata tuo,
Sic statui; decuitq; meam celsissima Matrem,
Maiestas animæ, gratia, forma, decor.
Ergò momento, quo vitam ordiris in orbe,
*Turpia deuita*, sic volo, pulchra tene.
*Almum* sume decus, perfecto vt *ameris* amore;
*Agno* dulce melos, puraq; tota CANE.

XLVI.

*Currus Dei, Agna lætantium, ama me pia.*

HElias vasto flammarum turbine raptus,
Igniuomo curru, currere visus erat.
Israel auriga, & currus, lætissimus ipse est
In Paradysiacas, vectus ab orbe plagas.
*Currus* Virgo *Dei* es, quem cælo pura tulisti;
Igneus es currus; nam Deus ignis amor,
Hoc vehar vt curru *lætantium*, amoris in igne;
*Agna* rogo, & Christi *me pia* Mater *ama*.

XLVII.

*Aut roga me intimè ne culpa Adami ruas.*

IAm te decretis cælestibus, hùc mea Virgo
Delegi; fias vt mea casta Parens.
Obstat sed maculæ næuus; quo casus Adami
Humani generis, pectora cuncta grauat.
*Aut* igitur *me* Virgo *roga*, sic *intimè*, *Adami*.
*Ne culpa*, cunctos inficiente *ruas*.
Aut mihi non fias Mater. sed iam rogat ipse,
Iam meus, vt Mater sis mea, vicit amor.

XLVIII.

*Pio mundum vita alma, ac Ester Regina.*

CVlpa prophanauit, quidquid Divina Creatrix
Dextra, homines inter fecerat esse sacrum,
Post peccatum mors, vitales sustulit auras;
Mors animæ, & carnis, scilicet illa fuit.
*Alma* ego sum, *vita*, *ac Ester Regina*, decore
Cælesti Afsuero, cûi placuisse datum est.
Ergò prophanatum vitiis, vitaq; carentem
*Mundum* ego quæ culpa sum sine labe, *pio.*

XLIX.

*Vitia materna comprimens, gaude Aula.*

CÆli Curia, Regis æuiterni
Sedes, atq; Palatium tremendo
Dignum Numine fulget vnionem
Immenso pretio, nitetq; pafsim
Auratis laribus; sed Agnus illi
Lux est maxima, sol, iubarq; summum.
Peccati vitiosa sed reatu
Terræ Curia, digna non fuisset
Aduentante Deo; domum nitentem,
Nî purifsima Virgo præparâfset.
Hæc est Aula Dei, sed vniuersis
Virtutum pretiosa margaretis.
Hæc est Curia mille gaudiorum;
In qua lætitiæ perennis, ingens
Causa est gratia. puritasq; summa.
Totus quàm tibi gratulatur orbis,

Virgo candida, pura, casta, sancta;
Quod *materna* notæ satis nefastæ
*Comprimens vitia*, innocentis ortus
Celso munere, sola sis reperta
Mater digna Deo. proinde cæli
*Gaude* plausibus; vna, sed stupenda
Angelisq; Dei, omnibusq; Sanctis,
Quod sis sanctior *aula* puritatis.

L.

*Tu purè Agna es in Deo mari Immaculata.*

VNde tibi Virgo, puri candoris origo?
Vnde animæ tantus, tamq; stupendus honos?
Nescia quod labis, purissima tota coruscet;
Postq; illam, quod nil purius esse queat.
*Tu* prima es Iesu pretioso sanguine lota,
Inde tibi tanto, candor ab Oceano.
*Purè es tu Agna, Deo* tibi tantum dante lauacrum,
Lotaq; *in* hoc fueras *Immaculata mari.*

LI.

*Te Agnam caram iam Nati erui lupo Deus.*

TRiste lupus stabulis, tristissima bestia sacris
Electisq; ouibus, Styx inimica Deo,
Ore cruentato postquam lacerâsset, in ortu
Par ouium primo; cuncta vorâsse dein
Immani cupiit rictu. sed ego mihi *caram*
*Agnam* seruaui *te*, Deus ipse tuus.
*Iam* mihi tum, *Nati* Mater præuisa fuisti,
*Erui* Auernali, te *Deus* ipse *lupo.*

LIII.

*Vna de cælis Magna Mater, viuam Patri.*

OMnia cælesti surgunt virtute creata,
Cuncta Creatorem respiciuntq; Deum.
Nil sibi terra parit, propria virtute paratum;
Omnia quæ virtus condidit, ipsa parit.
De cælis & homo fuerat; sed crimine primo
Particulam infecit, quæ Deitatis erat.
*Vna ego de cælis*, sum *Mater magna* Tonantis;
Ergo meo *viuam*, Filia cara *Patri.*

LIII.

*Ut Virago, ut Dei Parens, iam almè canam.*

POst victos hostes, occasio læta canendi;
Cantica nempè sacer, iure triumphus habet.
Vincere peccatum, me fecit origine prima.
Conditor ipse meus, victor & ipse Deus.
Stat mihi, cum victore meo, victoria summa;
Hostis quando caput, casta puella premo,
Io triumphe Deo victori, *iam* proin *almè*
*Vt Diuina Parens, vtq; Virago canam.*

LIV.

*Maiestate Dei pura Agna, cor vnum Almi.*

COr mihi crediderat, Pater immortalis ab alto,
Quando mihi Natum, credidit ipse suum.
Immensum tanti pretium, qui muneris in me
Cogitat; insolitum cogitet ille decus;
Maiestas in me doni, quod tanta poposcit;
*Agnaq;* quod fuerim *pura*, necesse fuit,

Maie-

*Maiestate Dei*, fueram dignissima Mater;
*Cor vnum Almi*, nam Patris ipsa tuli.

# ACERVVS II.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter Filias Adæ. *Cant: 2. vers: 2.*

LV.

*Sanguine Dei lotam, puram amaui rectè.*

HOc memorare decet, geminareq; dulce videtur;
Quod de te dictum Virgine, cardo rei est.
Quod tibi nimirùm, sanctæ Conceptio vitæ,
Ex merito fuerit, sanguinis orta mei,
Passio, Cruxq; mea est; quæ te seruauit, vt ante
Conceptus fieres Immaculata tuos.
Hinc ego te *puram*, *rectè* mea Mater *amaui*;
*Lotam* condignè, *sanguine* nempè *Dei.*

LVI.

*I mecum Dei Virgo alta, nam purè sanata.*

VLcere peccati scateo, totusq; sub ictu
Criminis, infirmor corpore, corde gemo.
Quomodò tàm languens animo, laceratus, & æger;
Conspectum Domini, iudiciumq; feram?
Ne peream æternùm, me iusti Iudicis ira
Dum terret, quando conscia mensq; gemit.
*Virgo Dei i mecum*, sana mea vulnera; *nam* tu
*Purè sanata* es, Mater vt *alta* Dei.

LVII.

*Cupiui à Te o Deus almam in terra Agnam.*

In

IN cælis fuerat, Diuinæ mentis abysso,
Quæ præuisa tibi, Mater & Agna tua,
O quàm millenis fuerat non edita seclis?
Quàm longas Iesu, traxerat illa moras!
Hanc *almam*, votoq; diù poscente *cupiui*
*Agnam* dilatam, crimine vinctus homo,
*In terra* petii supplex, *o* mi *Deus à te*!
Ad te, me vinctum, ducat vt Agna lupum.

LVIII.

*Vis de macula pomi, me Agna nata, re ruit.*

HÆserat in pomo, Stygij vis sæua veneni;
Quo mors peccati, toxica prima dedit;
Quod gustu sapidum, quod delectabile visu,
Decepit primam, fraude latente gulam.
Infremuit vasto gemitu, sed turpis Auernus,
*Agna me Nata*, cùm mala prima cadunt.
*De macula pomi* vetiti, *vis re ruit* omnis;
Nam cum Matre Dei, vis benedicta redit.

LIX.

*Tu vna partu Dei mei, iam congeras alma.*

QVidquid gratia, puritasq; gazis
Cæli diuitibus, sacrum, beatum
Vnquam clauserat; id manu refudit
In te munifica; puella pôstquam
Christum gignere ritè destinata,
Decreto Triados sacræ fuisti,
Hùc quidquid Seraph igne charitatis,
Aut Cherub sapientia, Throniq;,

Virtutes ſimul atq; Principatus,
Et cœtus valet omnis Angelorum
Congeſtum voluit, ſalutis autor;
Qui te condidit, omnium beatis
Maiorem meritis; ob eminentem
Inter cuncta creata dignitatem,
Puræ Virginis, ac Dei Parentis.
*Tu pareu* niueo, Vna congregaſti,
Mater facta *Dei mei* ſtupenda;
Quod nemo capiat, quod æuiterna
Nunquam ſecula prædicare digna
Poſsint, atq; ſciant. penu ſed ingens,
Et ditiſsima gaza gratiarum;
In nos vt tua plenitudo, ſummæ
Cælitùs quoq; gratiæ redundet;
Iam ſic omnia *congeras*; vt *Alma*.
Cæli munera dum refundis, omni
Sis nobis benedictione Mater.

LX.

## *Lactaſti Deum, nam Virgo, nam ea ei pura.*

QVis putet? in terris aliquando Numen ab alto
    Diuinum Veniens, carne ſub exigua,
Faſciolis ſtringi, cunis potuiſſe teneri?
    Et caſtæ Matris viuere ab uberibus.
Sed tamen hoc euicit amor, fecitq; tenellum
    Lactentem Natum, caſta puella tuum.
*Lactaſti* tu ſola *Deum*, *nam Virgo fuiſti*;
    *Pura ea*, *nam* decuit, Mater vt eſſet *ei*.

LXI.

*It piè almus Amor, dat munera cui? Agnæ.*

DOna Creatoris manibus, quæ ſumpſerat Eua;
Non poterant pretium, par habuiſſe ſibi.
Eripuit totum vis impia; dum lupus Agnam
Mactauit Stygius, donaq; cuncta tulit.
Sed ſine peccato, noua rurſùm naſcitur Eua;
*It piè*, & è cælis hanc vocat *Almus Amor.*
Hic immenſus amor, *cûi dat* ſua *munera*? nonnè
*Agnæ* dat Matri? ſcilicet *Agnus* amor.

LXII.

*Lætare mi Virgo pia, nam actu munda es.*

GAudia dat mundus, ſed gaudia fellis amari;
Quæ mulcent, animæ mox aconitha ferunt.
Cor gemit in culpa, riſus delectat in ore;
Sed verus ſuperat, gaudia ficta dolor.
Munditiès animæ, verè eſt ſincera Voluptas;
Hîc animi, & vultus gaudia conueniunt.
*Mi Virgo lætare pia*; *actu namq; es*, & ortu
*Munda*, Deumq; tuo germine læta paris.

LXIII.

*I gemma pura, i renato lucta, dona Ieſum.*

QVid naſci prodeſt? animæ ſi vita negatur;
Mors illam quando criminis, atra tenet.
Natales noſtri, cum lucta mortis anhelant,
Parcaq; ius in nos, quo teneamur habet.
Sanguineo Ieſu, licuit ſed fonte renaſci;
In quo tu lota es, *gemmaq; pura* nites.

I Virgô, Iesuq; mihi de fonte *renato*,
*I dona Iesum*, *luctaq;* tota cadet.

LXIV.

*Vi intacta, vel rara gemma, pando Iesum.*

QVas partu natura suo, sine labe nitentes
Progenerat gemmas, inficit arte manus,
Pro veris falsas supponens. raraq; gemma est;
Natiuum quæ non mutet, ab arte decus.
*Vi* Stygis *intacta*, illibataq; sola remansi;
*Vel* sum *rara* sacri, *gemma* pudoris ego.
Hinc Patris æterni, pretiosum gemma monile,
Visceribus *Iesum pando*, feroq; meis.

LXV.

*Mentem elatam, ac virus odi, Agna parui.*

VNdè ruina mali, Paradysi dulcibus hortis
Orta fuit: per quam concidit omnis homo.
Mens elata, tumor nimius, Dominoq; rebellis;
Hic virus primum, fudit in omne genus.
*Elatam mentem, ac virus* lethale, superbi
Pectoris hoc *odi*, mens humilisq; mihi est.
Matris honore Dei non tollor; mente profunda.
Agni sum *parui*, parua sed *Agna* mei.

LXVI.

*Incepta Agna rara, melos meum audiuit.*

SVauis amor, mellitus amor, dulcissimus ante
Secula, qui mecum secula fecit amor,
Dulce melos cecinit semper; quo viscera cordis
Ille mei reserans, mystica verba dedit.

Agnum me fieri, pro mundi velle salute;
Mysticus iste mei, cantus amoris erat.
*Audiuitq; meum melos* hoc *incepta* Maria;
Sic est facta Parens, *Agnaq; rara* mihi.

LXVII.

*Noluit impurum, dignè amata Cæsarea.*

INsontes animæ, quando caruêre reatu;
Illis in Sponsum, se dedit ipse Deus.
Iunxit amicitiæ fœdus, quod ruperat Eua,
Impuræ pandens, viscera pura Stygi.
Inde locus maculæ, pacis ruptæq; dolenda
Æternùm labes, nec reparanda patet.
*Noluit impurum*, sed *dignè* Mater *amata*;
*Cæsarea* est Virgo, Cæsare digna Deo.

LXVIII.

*Tanto Regi, vice mei lauda puram sanam.*

FOrmâ præstantes, animo vultuq; pudicæ,
Maiestas quibus est, eximiusq; decor,
Augustæ Regum laudantur, & aurea poscunt
Sceptra, coronati iusq; iubarq; throni.
O mortalis homo! sic lamentabilis Eua
Inquit post casum, tu *vice* quæso *mei*,
Augustam *lauda sanam puramq;* Mariam;
Hæc *tanto Regi*, Regia Sponsa Deo est.

LXIX.

*Es Agno munita ædicula, mi pura Mater.*

IN terris fuerat Christi querimonia iusta,
Ponendi capitis, dum caret ille loco.

Vul-

Vulpibus haud foueæ desunt, sed missus ab alto,
Diuinus minima, Filius æde caret.
*Mi pura* o *Mater*! fias domus vnica Christi,
In te reclinet, fac caput ille sacrum.
Contra peccatum *munita* es. Numinis *Agno*,
Tu sine peccato, dulcis *es ædicula*.

LXX.

*Re Agna, vi pura, timeat de camino malus.*

PEccati labes, fax ardens, ignibus orbem
Fœdis combussit, dum calet igne Stygis
Impuras flammas vomuit flagrante camino,
Quem succendit atrox culpa, sitisq; mali.
Inter mortales, quos flamma hæc mortis adussit
Vt *mea*, debes hûic *re* nihil *Agna* foco;
Quin *timeat malus* Orci *de* sordente *camino*
Dæmon; nam vim *vi*, *pura* Virago fugat.

LXXI.

*Sinai Virgo, leuat precantem Adamum.*

LEx super excelso Sinai data monte, manuq;
Consignata Dei, res pretiosa fuit;
Hanc tamen ingratus populus dum negligit; orat
Moyses pro populo, brachia sancta leuans.
Diuinam legem, primus qui spreuit in orbe,
Euæ captus Adam voce, manuq; fuit.
Hunc *Adamum* gemitu veniam, lachrimisq; *precantem*
Quæ *Sinai Virgo*? nonnè Maria *leuat*.

LXXII.

*Protege à macula, Nata munda miri Iesu.*

ORbis prodigium, cæli ſtupor, ingeniiq́;
Humani exceſſus, ſummus, & abſq; modò
Mirus amor Ieſu, mundi pro parte redempti
O quàm geſtorum grande reliquit opus!
Hæc inter; quod quàm delegit te ſibi Matrem,
Hæc illi fueris, *mundaq́ Nata* ſimul.
*A macula* culpæ nos *protege*, neſcia culpæ
O *miri Ieſu*, mira ſtupenda Parens!

LXXIII.

*In metu ardua maculæ, piam ſonat Regi.*

PRæbuit acceſſum facilem, ſuadentis Auerni
Heu nimiùm prauis artibus, Eua parens!
Sic patuit maculæ, dum iuſti frena timoris
Excuſsit, tandem facta rebelle caput.
*Ardua* ſed *maculæ* Virgo, præcluſit in ortu
Omnem illi acceſſum, ſic ſtatuente Deo.
Hoc *in* non inuenta *metu*, data libera *Regi*
Eſt Regum Mater; vox *ſonat* ergò *piam*.

LXXIV.

*Num cedrus, num alata i, i perge io amata.*

VIciſti quodcunq; decus, ſine labe creata;
Inter mortales, par tibi nullus honos.
Hoc ſublime tuum eſt, quod nemo Vincit in orbe;
Quod ſis caſta ſimul, fæta Deoq; ſimul.
*Num cedrus* vlla tibi par eſt? *num* tota fuiſti
Hoc *alata* Deo? quem ſine labe paris.
Celſior *i* cunctis, *i* felix, *perge* triumphans;
*Io* canens, quod ſis Mater *amata* Dei.

LXXV.

## LXXV.

*Auis cæli, vt Dei mera, nam partu magna.*

QVò volat è terris, Mater purissima Christi?
Euolat, Angelicos vincat vt illa choros.
Altius illa volat, quò non conceditur vlli;
Ad cor Diuinum scilicet illa volat.
Cor Patris æterni tenet en, cordisq; medullam;
Quando Deum in cunis, *vt mera* Mater habet.
Hæc *auis* est *cæli*, cunctos transgressa volatu;
*Nam partu magna* est, proleq; magna *Dei*.

## LXXVI.

*Sapit Rege munita, orandum ei à macula.*

DEsipuit grauiter, quamuis cum lumine mentis
Eximio, fuerit prima creata Parens,
Quando voluntati Diuinæ prætulit eheu!
Fructibus ex vetitis, fercula blanda gulæ.
At *munita* Deo Regum purissima *Rege*,
Virgo *sapit* meliùs, cùm sine labe sapit.
*A macula* liber, sapias vt rectiùs & tu;
*Orandum* pro te, quàm benè Numen *ei*.

## LXXVII.

*Sum Agna, vter Almo, ita carnem Dei paui.*

HÆdos vt saluaret amor meus, & meus Agnus,
Corporis humani vellera, ferre volens;
De me vellus habet carnis; purissima per quem
Ad tanti fueram condita, amoris opus.
Hoc voluit, quod fecit amor. sic edita sanctè
*Agna* Parens *Almo*, *sum* sine labe Deo;

Atq;

Atq; *ita* lacte *Dei carnem paui*. meus illi
Namq; *vter* innocuus, dulce cubile fuit.

LXXVIII.

*In via armata aptè mundo regis cælum.*

GErmine dum sancto, te nasci Virgo necesse
In terris fuerat, sic statuente Deo;
Quæ via, te primum vitæ ducebat in ortum;
Mox armata Dei, tàm fuit illa manu;
Vt nihil excubias cælestes falleret, hac *in*
*Armata* pro te, & tàm vigilante *via*.
Hoc *mundo cælum*, sic tramite tu *regis aptè*;
In cælum nostram, quàm regis ipsa viam.

LXXIX.

*Carnalem odit vitam, me vite pura Agna.*

SPiritus est, animæ qui vitam cælitùs ex me
Conseruat, vegetat, viuificansq; fouet.
Nam caro nil prodest, mentem grauat, eripit intùs
Si quid habet sanctum, spiritualis amor.
Spiritus hic ex me, purissima viscera fecit;
*Pura* quibus Natam, me tulit *Agna* Deum.
*Odit carnalem vitam*, cêu spiritus, in *me*
*Vite* Deo vitam, nam mea Mater habet.

LXXX.

*Amore paruula, & magna sum, canite Dii.*

ORrbis vt attonitus, nunquam miracula de me
Perfectè capiat, quæ Deus ipse capit.
Qui solus fecit, statuens qui me sibi Matrem,
Munera concessit prodigiosa mihi,

Hoc quoq; mirandum satis est; quod *magna*, simulq;
*Paruula sum* Virgo, Magni in *amore* Dei.
Hoc de me *canite* o electi! de quibus ipsa,
Vos estis dixit, pagina sacra *Dii*.

LXXXI.

*Magni Adam Musa certè purè inuiolata.*

QVis credat Musas, sine prisco vertice Pindi,
Et sine Phæbæo munere, posse dari?
Immò quis credat? veteres non somnia Musas,
Nec nimis ingenii luxuriantis opus.
Verior est priscis, & longè sanctior vna,
*Magni* de cælis, *Musa* parentis *Adam*.
Hæc canit vna Deo melos, apto carmine *purè*
Nam *certè* melos hoc, *inviolata* canit.

LXXXII.

*I munda Eua immota re apta, luci regnas.*

MOta gradu cecidit, Stygiis dum fraudibus Eua
Credidit, Authori non tenuitq; fidem.
Quàm breuè momētum! quàm non reparabile damnum
Ex inconstanti tum leuitate dedit!
Quæ fuit apta Deo, luci regnareq; nata,
Lumine sublato mentis, inepta fuit.
*I* o *Agna* Deo! *munda* es tu, *immotaq;* culpæ;
Si *luci regnas? re* proin *apta* Deo es.

LXXXIII.

*Caro gemmea, vt pura Dei Luna, is amanti.*

SOl tibi iustitiæ, radios communicat intùs;
Virgo, quibus lumen tu super omne nites,

Solis es iſtius tu Cynthia. ſic *is amanti*,
Tu iubar electum, *puraq; luna Dei.*
Nimirùm Sol hic, magis vt reſplendeat in te,
Vt tua ſit voluit, *gemmea pura caro.*
Si tibi, quæ Ieſum tulerat, caro gemmea tota;
Gemma animæ Virgo, quàm pretioſa tuæ!

LXXXIV.

*Agna Ieſu, vnda pro te mirè Immaculata.*

PRæcurſor Chriſti, populos Iordanis in vnda
Lauit; ſed necdum lotio plena fuit.
Sanguine profuſo, Chriſtus de vulnere cordis,
Hinc vndæ fudit, ſacra fluenta ſimul.
Omnibus hoc fuerat, ſanctum, plenumq; lauacrum;
Omnibus hinc manans, unda ſalutis erat.
*Agna* mei *Ieſu*, ſed *pro te* Virgine ſola,
*Vnda* hæc, o quàm *mirè Immaculata* fuit!

LXXXV.

*Mea tu Parens Diuina, ergo Immaculata.*

ANgelicæ ſudent mentes, cæleſtia corda,
Humanis mundus ſudet in ingeniis;
Cor ſapiat, ratio diſcurrat, Suada loquatur;
Hoc calamiq; omnes, hoc agitentq; libri;
Vt te Conceptam, primi ſine labe reatus
Conuincant. vincit quod tibi dico Deus;
Si *mea tu Diuina Parens*, mihi pura fuiſti;
*Ergò* vt in ortu ſis *Immaculata*, decet.

LXXXVI.

*Ego (clamat Deus) in tua anima mirè pura.*

SI Verbum siluit, carnis sub nube latendo;
Æterno dixit, quod Pater ore semel.
Infans si fieri voluit, vagireq; tantum,
Immensum cupiens abbreuiare suum.
Quid clamat, tanta vocis dulcedine? *mirè*
*In puraq; anima*, quid sonat ille *tua*?
Dilectam quod amet Matrem, *clamat Deus* infans
Inquit, *ego* Mater sum mea, clamor amor.

LXXXVII.

*Agna, aut mare Leuiticum das ori Panem.*

PEr mare, longinquis de partibus, ire carinas
Nouimus; vt panis fercula grata ferant.
Sic Latias toties oras, Ægyptia quondam
Frugibus impleuit, per mare vecta ratis.
*Agna, aut Leuiticum mare*, Virgo stirpis Aaron,
Quem tuleras Summo, nauis amica Deo,
*Das ori Panem*; cùm sit dulcissimus ex te,
Angelicus nobis Panis in ore, Deus.

LXXXVIII.

*Iam Rege pura alauda, canit Summo Enti.*

IN sublime volans, suaui modulamine cantus,
Pura Creatorem, laudat alauda Deum;
Æthereisq; plagis vicinior, infima linquit;
Vt propior cælis, dulciùs illa canat.
Angelicos prægressa choros, sublimiùs iuit
Vsq; ad Diuinum, *pura* Maria thronum;
Hîc coram Regum, per secula *Rege* triumphans,
*Enti iam Summo*, dulcis *alauda canit*.

## LXXXIX.

*Natam velatam puram dico, Iesu i regna.*

ARcano fuerat velamine, tecta Maria
Prodiit exortu, quando decora suo.
Præseruans à labe Deus, velauerat illam;
Vt nesciret opus, Styx inimica Dei.
*Natam velatam, puram,* si *dico* Mariam;
Si dotes animæ, quas stupet Orbis habet;
*I regna Iesu!* non est te dignior Vlla;
Quam cûi, dos animæ Regia tota nitet.

## XC.

*Tu vna piè & re, ignoras Adami maculam.*

VNa Dei Mater, vicisti quidquid in orbe
Maiestas omnis, gloria quidquid habet.
Immensi, quis enim, fastigia culminis illa
Cogitet ( in quibus es proxima facta Deo.
Diuinæ Matris titulo, quem sola mereris;
Quo facta es, sola tu Deitate minor.
*Vna piè, & re, tu maculam* peccantis *Adami*
*Ignoras,* meruit quod tibi Matris honos.

## XCI.

*En iam vadis in tuto, clara, pura, gemmea.*

ANguis in occulto laqueos, Erebiq; dolosas
Insidias posuit, quêis homines capiat
Incidimus passim, ruimus, passimq; tenemur;
Ex quo successit, fraus benè prima Stygi.
*En* Diuina Parens *in tuto* libera *vadis,*
*Iamq;* Stygis soli, fraus tibi nulla nocet.

Lumine

Lumine *clara* Dei, laqueos cùm viceris Orci;
Hinc ortu facta es *gemmea pura* tuo.

XCII.

*Reputes Agno Dei Immaculatam à ruina.*

ALto qui cecidit primus, de culmine dæmon,
In Testamenti ponere monte, thronum
Diuino similem cupiens; quo corruit ipse,
Hùc trahit humanum, præcipitatq; genus.
A casu tali *reputes*, culpæq; *ruina*,
Impia Styx, Matrem sed procùl esse Dei.
*Agno*, nempè *Dei* summè decet *Immaculatam*
Matrem, nam salua Virginitate dari.

XCIII.

*Nardum Carmeli puto, Agnam viæ, sat ei.*

FLorida Carmeli fastigia, tota venustas
Condecorat florum, purpureusq; decor.
Floruit hîc sedes, priscis dilecta Prophetis,
Virginis æternæ deliciumq; fuit,
Carmelo propiorq; stetit Nazareth; in illo
Virgo suæ liquit, signa proindè *viæ*.
*Agnam Carmeli* fragrantem, si *puto nardum*;
Suauis *ei sat* odor, Virginitatis erat.

XCIV.

*Agna Deum cælis Natiuum, rapit amore.*

VIs inuicta Sacri, super omnia, quàm sit amoris;
Nemo capit. cùm sit prodigiosa nimis.
Cor rapit, immutat, consumit, sauciat; & mox
Viuificat, sanat, deliciisq; fouet.

Ius habet in Superôs, de ſummo iure triumphans.
Nam quæ tandem vis, plùs violenta rapit?
*Agna Deum cæli Natiuum*, cordis *amore*,
Quàm cum de cælo, in viſcera caſta *rapit*.

XCV.

*Tam pura, & ſumma, digna Ara cæli veni.*

INter primitias Orbis Deitatis ad aram
Offerri cœpta eſt, victima grata Deo.
Numinis hoc cultus, natiuo iure popoſcit
Quod capiti debent, cuncta creata ſuo.
Nulla ſed immenſo, ſurrexerat Ara Tonanti,
*Tam pura, & ſumma*, ac tota dicata Deo;
Quàm tu *digna* Deo es, *cæli* quæ diceris *Ara*;
Victima ſi poſcit te Deus; ergo *veni*.

XCVI.

*Angele, dictam Aram ponas vitæ riuum.*

ARa Dei, Virgo eſt; cælis oblatio digna,
Corpore velatus, Filius ipſe Dei eſt
Fons in eo vitæ, de quo ſcatet vnda ſalutis,
Quâ nos emundat, viuificatq; Deus.
*Angele*, qui Domini ſacris altaribus adſtas,
*Aram* cis *dictam*, qui thymiama geris;
Hanc *vitæ riuum ponas*, de fonte beato;
Fons Deus eſt, riuus Virgo Maria Dei.

XCVII.

*Sic iam tu mi amor, vna Nata de lege pura.*

LEx hominum triplex, ſub qua tot ſecula mundi
Decurrunt, ætas vltima donec eat.

Natu-

Naturæ lex prima fuit; cûi ſcripta deinceps
Succeſsit, Moyſes quam tulit ore Dei.
Tertia lex vitæ, nobis tua gratia Ieſu
Quam dedit, atq;, tuus ſummus, & vnus amor.
Hac *de lege* tua, Mater tibi *Nata* ſit *vna*,
*Puraq; ſic mi iam tu* benedicis *amor*.

XCVIII.

*Arca de manu gentium eruis, ô ita palam!*

Diuinum populum, cùm per longinqua viarum,
Promiſsi peteret, Regna beata ſoli,
Arca vetus, tanti direxit limite paſſus;
Et quoties præſtò, barbarus hoſtis erat,
Arca triumphato Iudæos eruit hoſte;
Tu quoq; nos ſummis, *eruis arca* malis;
*Deq; manu* ſeruas hoſtili, *gentium* ab ortu;
*O ita*, quod petimus, nunc age Virgo *palam*.

XCIX.

*Diua alma, ſuprema i notum Regiè canta.*

Virginitas cantare poteſt, noua carmina Chriſto;
Quem poſt fata ſequi, nonniſi ſola poteſt.
In cælis, animæ niueæ comitantur vt Agnum;
Sic illi niuea Virginitate placent.
Virginei cœtus, quanto magis *Alma*, *Suprema*,
Agno *Diua* tuo, cantica læta canis?
*I notum* carmen per ſecula *Regiè*, & aptè
Tu *canta*; quod tu noſcere ſola potes.

C.

*Ædon mi amata, vna pia, reges relictum.*

Vnica

VNica Diuini cordis, dulcisq; voluptas
Post Christum, Virgo deliciosa nimis,
Affluis, exundas, superas dulcedine amoris
Omnia, quæ te post inferiora vides.
Non tamen ex altô, miseros eum forte relictos
Despicis, *Ædon mi* Mater *amata* Deo.
Vt genus humanum, culpæ sub labe *relictum*
Erigis æternùm, sic *pia* & *vna reges.*

# ACERVVS III.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.
*Cant: 4. Vers. 7.*

## ANAGRAMMA CI.

*Tu mea Dei mei Agna, cara vna pro multis.*

QVidquid in Angelicis, purum sanctumq; cateruis,
Peccati minima, fulgurat, absq; nota;
Quidquid in electis, summa virtute decorum,
Conueniens meritis cælicus ornat apex;
Hoc longè superas, Virgo purissima totum,
*Tu mea*, tuq; *Dei* Mater, & *Agna mei*;
Nempè decus meriti, pro cunctis *vna* tulisti;
Vnica *pro multis*, tu quoq; *cara* Deo es.

CII.

*O meta! pura regens, Diuina, Immaculata.*

SÆpè pharetratus, iaculis pernicibus in cor
Collimansq; tuum Virgo, triumphat amor.

Vulnera tot numerat, toties penetrâſse medullas
Gaudet, & in cordis vulnere, Victor ouat.
Quomodò tot fixis, tu ſufficis vna ſagittis?
Quomodò te ſolam fiere, poſcit amor?
*Pura regens* ſacras, *Diuinaq;* tota ſagittas,
*O* quàm *meta* places *Immaculata* Deo!

CIII.

*Tu iam regnas, Tu pia dominare macula.*

IMperium non eſt maius, nec ſanctius vllum;
Quàm prauos motus, mens pia quando regit.
Sic regnare decet, quos cæli Regia poſcit;
Hoc animi regimen, maxima ſceptra gerit,
*Tu* Regina poli, *iam regnas* omne per æuum;
Hoc animæ dotes, nam meruêre tuæ.
Vicisti maculam, primo feliciter ortu,
Omni *iam macula, Tu dominare pia.*

CIV.

*Agna tuta, iam paris cæli munera, Deum.*

NIl maius poterant, cæleſtia ſidera nobis;
Sanctius, & toto carius Orbe dare;
Quàm cùm, primæuo ſine næuo, pura dedêre
Virginis intactæ viſcera, digna Deo;
Vt Patris æterni, poſtquam Verbum Carofactum eſt,
His in viſceribus, grande lateret opus,
Sic *iam* Virgo paris, cariſsima *munera cæli*;
*Tuta* Redemptorem, dum *paris Agna Deum.*

CV.

*Palam Virgo ritè amas Deum, vnicè nata.*

OMnis nostra salus, meriti vis, vitaq; sancta,
Quantò maiori, constat amore Dei;
Tantò virtutum, decus est perfectius illi;
Tantòq; in cælis, stat potiore loco.
Hic amor, o *Virgo*! cùm flagret maximus in te;
Quò tu plùs aliis omnibus, vna *Deum*,
*Ritè*, *palam* quod *amas*, præ cunctis sola beatis;
*Vnicè* es exortu, *Nata* beata tuo.

CVI.

*Virga sum Domini, luctæ, armas & paan.*

ME decet exoptata bonæ clementia Matris;
Quæ pia, quæ clemens, Virgo Parensq; vocor
Quid virgam Domini me dicitis? haud ego culpas
Punio, sed Natum deprecor ipsa meum.
Non sum virga meis, sed gratia; gentibus autem
*Sum Domini* vigilans, *virga* furoris ego.
*Luctæ* sint Turcis, cædes, Mars sæuus, & *arma*:
Christiadûm genti plausus, & io *paan*.

CVII.

*Lucens pura Eua immota, me digna tiara.*

Augustum decus est, gemmis distincta Tiara;
In summo Regum vertice, quando micat.
Quæritur extremis, gemmarum pondus ab Indis
Humano capiti, quod diadema ferat.
En eat, en *lucens immota*, & *digna Tiara*,
*Me*, cingatq; meum Virgo Maria caput,
*Eua* hæc *pura*, Deum si me pretiosa coronat;
Tota micans gemmis, ipsa Tiara mea est.

CVIII.

*Culpæ Adæ immunis, Virgo Mater Nata.*

NAscimur heu miseri ( sed iustæ nascimur iræ
Stirps rea, peccati iam vitiata malo
Vuam; dux generis primus, gustauit acerbam;
Sed dentes natis, obstupuêre suis.
Hoc commune malum, nemo vitauit in ortu,
Præseruante Deo, pura Maria nisi.
Hæc *immunis Adæ* peccati, nec rea *culpæ*,
*Virgo* fuit *Mater Nata*, sed absq; nota.

CIX.

*Regnes pura nam Immaculata. video ita.*

IN tenebris video, mea lux Deus, hùc mihi visum
Dirigit, interius qui dedit ipse iubar.
Clausa mihi pupilla latet, tegiturq; dolenda
Nube; sed in tenebris res mihi magna patet.
De te, quæ fontem lucis, sine labe tulisti;
Iam *video*, solo lumine mentis *ita*.
*Regnes pura* throno cælesti, Regia Virgo;
*Nam* Christi regnas *Immaculata* Parens.

CX.

*Animata ædis pura Regum an cælitûm.*

ALta domus cæli, Diuinæ Curia lucis,
Maiestate sua, quæ nitet absq; modo,
Omnibus excellens donis, & tota stupenda;
Est ædes Domini, non animata tamen.
Ergò quæsita est, *ædis* purissima sanctæ,
In te cælo par, ast *animata* domus.

*Pura* domus *Regum* an tu *cælitûm* es? o pia Virgo!
Ædes namq; Dei, tu sine labe nites.

CXI.

*Eua ita grata, i alma nodum necis rumpe.*

GOrdius hic non est, Macedo quem ruperat ense,
Nodus peccati, maximus ante Deum.
Nullus tam felix gladius, nec tam benè acutus,
Posset vt hæc tanti, soluere vincla mali.
Eua parens hoc fecit opus, quod soluere nescit;
Hoc vt tu soluas, *Eua ita grata* veni.
*I* o *Alma* Dei Genitrix! purissima cùm sis;
*Rumpe necis nodum*, sic cadet omne malum.

CXII.

*Sanè pura, nam & Immaculata Virgo Dei.*

HVmanæ quidquid possunt encomia laudis,
Ingeniumq; Orbis nobile, quidquid habet,
Congerat hùc; cæloq; petat Diuina canentûm
Cantica Spirituum, tot simul ora tenens
Proferat hoc vnum, poterit nec dicere maius
De te Virgo, Deus maxima cûi tribuit.
*Sanè pura* tuo, debebas concipi in ortu,
*Namq; & Virgo* Parens, *immaculata Dei* es.

CXIII.

*Amice? tremunt mali visa Agna pura Deo.*

QVisquis es, innocuæ qui zelas Matris honorem,
Conceptamq; omni, diligis absq; nota;
Hoc sensu lætare tuo, Matremq; Beatam
Nôris, cor Iesu dulce parare tibi.

Gau-

Gaudia iusta refers, Diuinæ Matris *amice*;
Soli nempè *tremunt*, cum Phlegetonte *mali*.
*Agna* tàm *pura visa*, quæ sola beati
Visa fuit partus germine, digna *Deo*.

CXIV.

*Me Agno iam tu lecta es, vi pura miranda.*

VT statuit Diuinus amor, me Virgine Matre,
Propter mortales, nasci aliquando hominem;
Agnus sum lectus, Deus ipso ex corde Paterno,
Peccatum mundi tollere, morte mea.
*Agno me* lecto, *iam tu* quoq; *lecta es* in illo
Momento, Genitrix Immaculata Dei.
*Vi* mea vim vicit peccati, dextera pro te;
Vt *miranda* Parens, *puraq;* Virgo fores.

CXV.

*In me vale Virgo, ita sancta per Adamum.*

NEmo valet recte, nisi sana mente fruatur;
Qui valet internis viribus, ille valet.
Carne Gygas quamuis, & robore maximus Atlas
Sis licet; ex animo vis tua tota valet.
Vt sine peccati, valeas concepta reatu;
*In me* fonte Deo, tu mea *Virgo vale*.
Namq; *ita* tu *per* me, cælestem *sancta* es *Adamum*;
Vt te nulla Parens, sanctior esse queat.

CXVI.

*Certè non vilis gemma, pura amata Diua.*

DExtera tot seclis, quid non tentauit auara?
Gemmis vt pretium poneret, absq; modo,

Extremas rimatur aquas, Pelagiq́; profunda
Viſcera ſcrutatur, barbara regna petit;
Immenſas vt opes, conſumat margaris vna;
*Gemma* ſed hoc pretium, *pura* Maria præit.
*Certè non vilis*, quam ſic Deus æſtimat ipſe (
Gemma illi vt non ſit, *Diuaq́ amata* magis.

CXVII.

*Agni roſa pia, en vt Cerua. id ad me malum.*

ÆRipedem ceruam, pernici currere paſſu
Nouimus, inſtantes dum fugit illa canes.
Sic celeri curſu, culpæ vis noxia fertur;
Mortales faciens, criminis eſſe reos.
Exortu primo *roſa* ſed *pia* Numinis *Agni*
Quando oritur, ſpinis mox ego pungo Stygem
*En vt Cerua, malum* primæui *id* criminis *ad me*;
Sed dum pungo, fugit cêu bona cerua malum.

CXVIII.

*Me laua, me intùs ritè pura, Agna modica.*

MOmento vitæ, quo primùm viuere cœpi,
Matris adhuc vtero, viſceribuſq́; latens,
Pollutus maculâ, ſordes in origine prima
Contraxi, ſemper fætidus, ante Deum,
Hircum ſemper olens. ſed tu ſpes magna lauacri,
*Agna* Dei *modica*, at maxima noſtra ſalus,
Tu *me* per Ieſum, de culpæ ſordibus *intùs*,
Candida *me* Virgo, *ritèq́ pura laua*.

CXIX.

*Eruo Deus cani, Virginem alatam aptam.*

Quid

QVid rabidas fauces, Stygij quid ſæua moloſsi,
Atq; cruentati, panditis ora canes?
Quando concipitur, Mater puriſsima Chriſti;
Hæc Veſtiæ non eſt, offa parata gulæ.
Innocuos ſolus, qui noui Virginis ortus
Os immane *Deus* namq; ego claudo cani;
*Alatam* tanquam Seraphim dum *Virginem*, & *aptam*
Vt mea ſit Genitrix, *Eruo* victor ego.

CXX.

*Amori dilecta vinea ſum, magna & pura.*

VInitor ſudauit amor, ſibi vinea dulcis
Creſceret vt, ſapidis tota referta botris.
Vinea ſed fallax, germen produxit acerbum;
Primaq; de vitijs vua, labruſca fuit.
Aſt rurſùm ſudauit amor, plantaret vt *in* me
Florida palmitibus, ſacra vireta nouis.
*Vinea ſum dilecta* meo, ſum dulcis *amori*;
*Magna, &* *pura* botrum; quando ego gigno Deum.

CXXI.

*En alta anima pura, geris vitam cum Deo.*

ERectas animas, Patria dignaſq; ſuperna,
Ne terram ſaperent, fecit in orbe Deus.
Inclinauit eas, & terra fixit in ima,
Mundus, & in mundo luxurioſa caro.
Sic terram ſapiunt. tu magnæ Virginis *alta*
*En anima* es ( cælum *puraq;* tota ſapis.
Vita tibi Deus eſt, genius tibi totus ab altò;
*Cumq; Deo vitam*, tu mea vita *geris*.

CXXII.

CXXII.

*Tu re iam Agna Dei, ut racemus almo Pani.*

PAne ſub Angelico, proprio nos corpore paſcit,
Sub vini ſpecie, ſanguine potat amor,
Infinitus amor; qui de te Virgine ſumpſit,
Quo reficit, quo nos cælitùs ipſe cibat.
*Agna Dei tu re* puriſsima, tanta parâſti
Fercula *iam* nobis, ſolaq; Virgo facis;
*Vt* Chriſtus de te fiat, cêu Vite *racemus*;
*Almo* das *Pani*, quod caro pura Dei eſt.

CXXIII.

*Mi ſancta, pura, magna, video almè viret.*

OMnibus ex ſanctis, tibi gratia celſior vni,
Luxq; animæ maior, Virginitaſq; data eſt
Non habitura parem, quam nec præceſſerat vlla;
Quæ poteras prolem, gignere Virgo Deum.
O *mi ſancta* Parens! o flos! o gloria *magna*
Humani generis, neſcia *pura* mali!
Gloria ſanctorum *video*, tibi cedit; & *almè*
Diuinæ Matris, ſola corona *viret*.

CXXIV.

*Auaro gemma periclitanti, naue adſum.*

IN ſos per Mare quærit, & remotum
Peru, Braſilioſq;, Iaponaſq;
Sinarumq; per æſtuoſa fertur
Præceps æquora, mille per Charybdes;
Vt gemmarius, inter vnionum
Plaudat pondera, gemmeaſq; merces.

Hoc

Hoc auri sitis, hòc auarus vrget
Ardor; ditibus hoc amica gazis
Mens nunquam satiabilis requirit.
O si quæreret altiore cura,
Cæli diuitias, penuq; sacrum (
Quod non deficit, & manus auaras,
Omnes vincit, & Orbis Euclienes.
En vel sola queo; sitim calentem,
Thesauro satiare ditiori,
Sacræ maxima gemma puritatis.
Per Neptunia regna, nemo quærat
Vdis me ratibus; *periclitanti*
Occurro, venio fauens *auaro*,
Ipsa *gemma*, quod Orbis obstupescat,
*Adsum naue*, mea, Deumq; porto.
Quisquis maximus Euclio es, beata
Cæli munera, corde quisquis ardes;
Annon sufficient tibi vniones
Maximi duo? Iesus & Maria.

## CXXV.

*Casta purè Virago, luem innatam ademi.*

NVlla lues tàm sæua fuit, tàm noxia mundo;
Humano generi nec truculenta magis;
Peccati quàm fæda lues; quæ stirpis in vno
Principe, consumpsit quidquid in Orbe fuit.
Hac ego sola lue en carui, ne Regia Christi,
Infectum quidquam, posset habere domus;

Hoc titulo gaudens Diuinæ Matris, *ademi*
*Innatam, purè casta Virago luem.*

CXXVI.

*Virgo Dei, en sic amata, ante malum pura.*

AFfectu quanto, Diuini cordis amata,
Gratior ex cunctis, quàm fueritq; Deo
Virgo Parens Christi, si fors mortalia corda
Quæritis? humanus non capit ista modus.
Quàm non humano, cunctos præcellit honore,
Tàm dilexit eam, non capiendus amor.
*En sic Virgo Dei*, fuit excellenter *amata*;
Omnis *pura* notæ, quàm fuit *ante malum.*

CXXVII.

*Laceras Agna dirè pomum, i Vate munita.*

ASpexit placido visu, mox mente cupiuit,
Blandiloquos suasus Eua secuta Stygis,
Decerpsit properante manu, gustuq; momordit,
Heu dirum malum, quo latuêre mala.
Tu sapis, & *pomum* miseris mortalibus *Agna*,
Quod *dirè* nocuit, fortitèr en *laceras.*
*I munita*, mali lacerato germine pomi,
*Vate* paris Natum, tu Gabriele Deum.

CXXVIII.

*Ama Agna Deum, i turtur cæli, nam pia es.*

QVid stimulis opus est ( vbi tanti flamma caloris;
Atq; vbi Virgo tuus, maximus ardet amor.
Mentibus Angelicis, & Sanctis omnibus vna,
Immensi flagras, plùs in amore Dei.

Sanctus amor, ſtimulis tamen hùc te grandibus vrget
*Agna Deum*, manibus quem geris inquit *ama.*
Hic amor, *i* quòcunq; vocat, cêu turtur amantem;
*Nam turtur cæli es*, dum *pia* dulcè gemis.

CXXIX.

*Nato Magni Dei, almè pura viſa, at cum re.*

NAſcuntur cunis Regalibus, aurea mundi
Lumina, ſceptrigeræ nomina celſa domus.
Tu cunas humiles, ſenſiſti Regia Virgo,
Stirpe coronata, ſis oriunda licet.
In cunis Regum, non puri re tamen ipſa
Naſcuntur partus, quos nota prima notat.
Virgo *Dei Magni Nato*, tu naſceris *almè*,
*At cum re*, fueras, *puraq; viſa* ſimul.

CXXX.

*O Immaculata inuia per Deum ſta regna.*

SCeptra tibi, non ſunt humano tradita nutu;
Diuina faſces, ſed tibi dante manu,
Terrarum facta es Virgo, Reginaq; cæli;
Ex quo Diuinæ Matris, honore micas.
Hic titulus, quantùm titulos ſupereminet omnes;
Tam ius regnandi, ius ſuper omne tenes.
*Inuia* peccatis, ergo *ſta o Immaculata*!
*Perq; Deum regna*, qui tibi regna dedit.

CXXXI.

*Natam puram à lue, natam dico Ieſu Regi.*

COncipitur ſine labe nitens, puriſsima Virgo,
Natalisq; ſui, neſcit habere notam.

Vndè negata aliis, ortus hæc gratia puri?
Vndè animæ illius, tantus in orbe nitor?
A *lue* sordentis peccati, dicere *puram*
*Natam* præcipua quàm ratione licet;
Hanc *natam* Matrem, *dico Iesu* tibi *Regi*;
Hinc decor illius, luxq; stupenda nitet.

CXXXII.

*En regis vitam puram Deo, cui Nata alma.*

NOn regimus vitam, Diuinis legibus eheu!
Arbitrio quibus est, viuere dulce suo;
Regula viuendi, lex est Diuina, salusq;
Vnica; iuxta quam viuere, vera salus!
Hæc tibi Diuinæ, sanctissima regula vitæ,
Cara nimis Virgo, totaq; dulcis erat.
*En regis* apta *Deo*, *puram* sine crimine *vitam*
*Cui* fueras Genitrix, *almaq; Nata* simul.

CXXXIII.

*Sacri dogma, Eua alma, Enti Entium pura.*

ANgelus ex altò, tibi dum mysteria cæli,
Grande sacræ Triados, consiliumq; refert;
Arcanum loquitur, quod secula cuncta stupescant;
Sed totum loquitur, Flaminis ore Dei.
Quod sis *Eua* Parens, Diuini Numinis *alma*;
Pneumatis est de te Virgine, *dogma sacri*.
Ens summè purum Deus est, hûic *Entium* ut *Enti*
Tu placeas, *pura* Virginitate place.

CXXXIV.

*Terra clauam tuam imponi, gaude Sina.*

Præ-

PRælia quæ mundi? quæ sunt certamina tanta?
Quæ Duce cordato, cordeq; Martis egent.
Encelados si contra agitur; terræq; Gigantes,
Aût Erebi furias, monstraq; sæua Stygis?
Si contra maculam peccati, prælia surgunt?
Pugnemus; sed tu mons *Sina* Virgo faue.
Ecce *tuam clauam, terra,* pariterq; Stygiq;
*Imponi gaude;* te Duce bella ruent.

CXXXV.

*I ouis intacta, regna, rumpe Adæ malum.*

PAstor ouem primam, minima sine labe creatam
Fecerat intactam, conditor ipse Deus.
Pascua terrestris Paradysi; florida pandens;
In quibus hæc pastum, candida haberet ouis.
Pascua sed spreuit. Cocyti pasta dolosis
Fraudibus, & regno mox spoliata suo.
*I* proin, & *regna,* paradysi *intacta* Maria
Sis *ouis,* atq; *malum rumpe* Parentis *Adæ.*

CXXXVI.

*Nostra, mea, Agna dicit viuam purè almè.*

VItales ortus inter, dum surgeret Orbi,
Quam mea præuenit gratia, Diua Parens,
Iam confisa mihi, seruataq; tota decora,
Lætitiæq; sacro nectare, tota madens
Dicebat, *viuam purè,* dum nascor, & *almè;*
Hoc & *dicit* ouans hactenùs, *Agna mea.*
Hæc tua, mansueti cordis dulcedine plena,
Fac nobis Iesu, *nostra* sit Agna fauens.

CXXXVII.

CXXXVII.

*Tuta cæli Virgo perennis, Adamum ama.*

EXcubiis nunquam maioribus, Aula ſuperna,
Immenſuſq; Dei, plùs vigilauit amor,
Quàm pro te Virgo; dum formabaris in almo
ANNÆ vtero, Mater caſta futura Dei.
Quàm felix illud punctum ( cuſtode Superno,
Quo data lux animæ, ſed ſine labe tibi.
Ergo tuum Ieſum, qui te ſeruauit *Adamum*,
*Tuta* manu *cæli*, *Virgo perennis ama*.

CXXXVIII.

*Eua magna Dei ſum, clara omni puritate.*

ORbis progeniem, nouoſq; partus,
Quæ cœpit, nouiter creata quondam
Iuſſu Numinis, Eua prima mater,
Magno nomine digna, Principatum
Inſignem tenuit; nec vlla Regum
Conſors imperio potentiore
Regnauit; ſimul Orbis vniuerſi,
Princeps Regia, ſola cum marito.
At dum, non reuerenter id tuliſſet,
Quod ſortita fuit, Stygem ſecuta
Fædo tramite; parua mox voluptas,
Magnos abſtulit heu nefaſta faſces (!
Rurſùm ſed placuit Deo, ſecundam
Me producere ſecla poſt tot Euam.
Aſt ſenſus humiles, modeſtiæq;
Adiunxit genium mihi perennem.

Nam

Nam si Virginitatis innocenti
Lilio placui, pudica Virgo;
Ancillæ titulo magis placentem,
Elegit Deus, ad suæ Parentis
Me summum decus. *Eua sum* proindè
Mater *magna Dei*, stupenda, sancta,
*Omni* deniq; *puritate clara*.
Hinc est sed mea magnitudo tota,
Quod sim paruula mente, spirituq;.

# ACERVVS IV.

Dominus possedit me in initio viarum suarum:
*Prouerb: 8. Ver: 22.*

CXXXIX.

*Dilecta vestra Agna, noui me iam puram?*

O hominum mortale genus ( stirps labe grauata (
Ille tuus, primæ conditionis honos
Heu periit ( simulac vapido suadente colubro,
Excepit fædum, sordida caula gregem,
Hædos ex Agnis factos, sed spes bona vobis,
En *dilecta* oritur *vestra* quod *Agna*, redit.
*Iam noui, puram me* sancto germine Natam;
Agnos ex hædis, mox dabo pura nouos.

CXL.

*Omnia summè tradita, puræ luci, Agnæ.*

OMnia, dulcis amor Iesus, sibi tradita quod sint
A Patre, dicebat Filius ipse Patris.

Omnia

*Omnia* ſed rurſum, *ſummè* ſibi *tradita* quod ſint
A Nato, dicit Virgo Beata ſuo.
Cor Patris eſt Verbum, lucis candorq; Paternæ;
Cuncta ſuo cordi, tradidit ergò Pater.
Natus lux Matris; dum *puræ* tradidit *Agnæ*
Omnia cêu *luci*, tradidit ille ſuæ.

CXLI.

*Me Deo iam, iam Agna ſit vt lucerna pura.*

IN tenebris poſiti, poſtquam lux alma receſsit,
Mortales, verè ſecula mortis agunt.
Gratia non lucet, cûi nox ſucceſsit opaca,
*Vn* cælumq; deeſt, nobile lucis iter.
Ecce nouam tandem, bonitas immenſa lucernam
Illis *iam* per *me* contulit, ecce iubet;
*Agna ſit vt* miſeris, in cælum *pura lucerna*;
Per me ſiſtet eos, *iam* via ſancta *Deo.*

CXLII.

*In te ſim, cela me, Agno pura, Diua, matura.*

MAximus arcani cæleſtis, me tibi nexus
Conſociat Virgo, dum tuus eſſe volo!
Filius; æterno qui ſum Patre Natus, & illi
Immenſa qui ſum, par Deitate Deus.
Carne ſub exigua, *cela me*, paruulus infans
*In te ſim*, quem non terra, poluſq; capit.
*Tu matura* mihi, dilectaq; Numinis *Agno*,
Cùm ſis *pura* nimis, ſis mihi *Diua* Parens.

CXLIII.

*Nitore Dei ſummè pura, i actu Agna alma.*

Sol

SOl radiat nitido, per mundi climata vultu;
Tu radias Virgo, sed speciosa magis.
Cynthia nocturnas pulcherrima discutit vmbras;
Substernit pedibus, se tamen illa tuis.
Astra serenatis collustrant ignibus Orbem!
Cingunt dulce tibi, sed duodena caput.
*Alma* igitur cunctis, maior splendoribus *Agna*,
*Pactu summè* es, *pura nitore Dei*.

CXLIV.

## *Virgo viscerum, aptè almè adamantina.*

VIsceribus castis, Christum quæ Virgo tulisti;
O quàm sacra, bonæ viscera Matris habes!
Si bonitas immensa Deus, requieuit in illis;
In bonitate tua, viscera quanta geris!
Quomodò tam clemens, adamantina viscera gestas?
Cùm mera sis *Virgo viscerum*, & alma Parens.
*Aptè* tu gestas *adamantina* viscera & *almè*,
Hic adamas Christus, nam pretiosus erat.

CXLV.

## *Sunamitida Agni, pro me curata, me leua.*

GRata Deo fueras Virgo, concepta priùsquam
Primitias vitæ senseris ipsa tuæ.
Agno cælesti, curarum maxima de te
Portio; namq; eius, tu Sunamitis eras.
Ille tuam faciem, toties vidisse poposcit;
Diuinum toties, cor dedit ipse tibi.
*Agni curata* es, *pro me Sunamitida* dulcis,
De macula culpæ, *me* pro in ipsa *leua*.

CXLVI.

*Pia mirè, tuta ludam cui Rosa? En Agnam.*

CVm necdum fuerant immensæ molis abyſsi;
Nec seriem nôſſet, terra poluſq; ſuam;
Iam luſiſſe mihi licuit fidenter, in alto
Conſpectu Domini, iam recreare Deum.
Nunc Mater Domini *mirè pia*, ſanctaq;, cur nõ
*Tuta* magis *ludam*? quando Beata vocor.
*En Agnam* puram, ſi me Deus ipſe coronat?
*Cui* cedant potiùs, quàm mihi dona *Rosa*?

CXLVII.

*O Immaculata Regina! vni, præſta Deum.*

Affectu Matris, quoniam tu diligis omnes;
Atq; manum præſtas, omnibus vna tuam;
Non vni Ieſum quoniam genuiſſe, pudico
Germine, ſed cunctis, gratia facta tibi.
*Immaculata* Dei Mater, *Reginaq;* cæli,
Vt præſtes vni, cur tamen oro Deum?
*Vni* propitium, clementem, ſic mihi *præſta*
Omnibus vt præſtas, conciliaſq; *Deum*.

CXLVIII.

*Sinite, actu agam, Luna pariam reo Deum.*

REs noua, res mira eſt, pariat ſi Cynthia Solem;
Ex cuius vaſto lumine tota nitet,
Sol prior, & maior, fulgentior, ipſeq; fons eſt
Luminis; at longè Cynthia Sole minor.
*Mortales ſinite*, hanc ego, quam non concipit Orbis,
*Actu*, non viſæ rem nouitatis *agam*.

Luna ego, Sol Christus; reus est homo; res noua, tanto
Ecce *Deum pariam*, candida *luna reo.*

CXLIX.

*Sic en re Virgo, Natum Adam almè aptaui.*

POst lapsum primi, maculam lugentis Adami,
Nemo qui Dominum conciliaret, erat;
Decretumq; tulit, bonitas miserata gementûm;
Vt nouus, ex casto germine, rursùs Adam
Surgeret, ad tantæ reparanda negotia causæ;
Placaret nobis, vt Deus ipse Deum.
*En sic re Virgo*, genui sine semine *Natum*;
*Aptauiq, almè*, sic noua Mater *Adam.*

CL.

*En Virgo Alma, aptè virum Adam nesciat.*

EDuxit Dominus costam, cùm dormit Adamus;
Ex illaq; nouum, surgere fecit opus,
Euam hominum Matrem primam, primamq; maritam,
Quæ fuerat primo, nupta Virago viro.
R esmalè successit. Deus ergò rursùs in Orbe,
Dum tantæ meliùs, consulit ipse rei;
*En aptè* Christum Mater, quæ gignat, & *alma*
*Virgo* sit, inquit *Adam nesciat* illa *virum.*

CLI.

*Dat iam lumen nata pura, coma eius Regi.*

PVlchra suo prodit quoties aurora cubili,
Purpureas toto spargit in orbe comas.
Illa diem reuehit mundo, Phæbiq; iugales
Præcedens, clarum nascitur ante diem.

Nascitur & Virgô radians aurora, diemq;
Illa vehit, Solem mox paritura Deum.
*Nata* suum *lumen*, mundo *iam pura dat*, *eius*
Pulchra Deo *Regi*, iam *coma* quando placet.

CLII.

*Iam pura luces, merita tua magna in Deo.*

QVid de te statuam Virgo, quid carmine dicam?
Iam propè vis cytharæ, deficit ipsa meæ.
Nam quò plùs caneris, Vatis plùs plectra fatigas;
Immensum de te, sic mihi restat opus
Semper dicendum; meritis ingentibus illud
Dum tu dilatas, laude pariq; cares.
*Pura* velut *luces*, sic *iam* super omnia regnas;
*Inq; Deo merita*, sunt *tua magna* nimis.

CLIII.

*Tumorem curaui in plaste Adam, ei Agna.*

MAxima vis morbi, primum quæ vicit Adamum,
Ex nimio fastu, proh dolor orta fuit!
Insidiosa gulæ præcessit quando voluptas,
Mox spreuit Domini, iussa suprema tumor.
Hic curandus erat. sed quomodo? scilicet *Agna*
Virgo humilis, sacrum do medicamen *ei*.
En *in plaste* Dei, demisso corde *tumorem*
*Curaui*, sanus sic modò viuit *Adam*.

CLIV.

*Minor Eua vt rui esca mali, dempta Agna.*

INfelix hominum Mater, culpæq; dolendæ
Inuentrix; iustè quæ *minor Eua* vocor,

*Vt* suadente *rui*, vapidi sermone colubri;
Vt me decepit, criminis *esca mali*;
Omnis præcipitem casum, clademq; secuta
Posteritas, mecum corruit ipsa simul.
Afficit hoc omnes; *Agna* sed nonnisi *dempta*;
Agnum quæ genuit, maior vt Eua Deum.

CLV.

*Eam velociter Agna, pura, summa, nitida.*

QVid faciam? gemit ecce miser, sub pondere culpæ,
Sub Stygiaq; dolet, mole grauatus homo.
Secula voluuntur, crescit gemitusq;, dolorq;,
Spes libertatis nulla, salusq; procul.
Succurram miseris, & *eam velociter Agna*;
Agnus vt acceleret, iam sua vota Deus.
Concipior *nitida*, adsum nescia, *puraq;* culpæ;
O Deus ( o bonitas iam quoq; *summa* veni.

CLVI.

*In dotem Iesu ritè pura, à macula magna.*

AVgustæ quoties nuptæ, consortia Regum,
Cum thalamisq; thronos, sceptraq; summa petunt,
In dotem populos, patrimonia Regia, gazas
Gemmarum, atq; auri pondera vasta ferunt.
*In dotem* cæli Reginæ, Matris *Iesu*,
Æternus magnum, quid dabit ergo Pater!
Maxima dos illi; peperit quod libera *ritè*
*A magna macula, pura* Virago Deum.

CLVII.

*Natam Reginam, arte, cum pio Iesu lauda.*

QVidquid habes artis, deducta ſcientia cælo;
Eloquioue potens, ſeu magis apta ſtylo;
Quidquid in auguſtas Regum depromere laudes
Maieſtate ſoles, ingenioq; pari;
Artis, & ingenii conatus, hùc age totos;
Summus vbi poſcit, te ſibi laudis apex.
*Natam Reginam*, tota dulcedine *lauda*.
*Arteq; cum Ieſu*, fac reſonare *pio*.

CLVIII.

*I alma, actu munda, Agno per merita eius.*

ORbis votorum, non eſt ſententia maior;
Nec peccator homo, quod magis optet, habet;
Quàm ne longa tui, nos expectatio, Virgo
Torqueat, exortus diſtineatq; tuus.
Agnus non veniet, qui tollit crimina mundi;
Si tu non venies Mater, & Agna priùs.
*I Agno*, cùi *per merita eius* neſcia culpæ
*Actu munda* Parens, *almaq;* Virgo places.

CLIX.

*Notum caſum nati Adami, relegi, ea pura.*

VT ſtetit, ex manibus Diuinis, machina mundi;
Vtq; homini tantum, credidit author opus;
Notius haud quidquam, quàm lapſi caſus Adami;
Quem flexit malo, cara marita malo,
Hunc *notum caſum*, culpam ſpirantis *Adami*;
Ad vitam *nati*, ſi ſine labe foret,
In libro mortis poſtquam, pænæq; *relegi*;
In libro vitæ, nunc *ea pura* lego.

CLX.

## CLX.

*Intacta viuam Regi, sperno Adæ malum.*

IPse meus Rex est, Natus, Sponsusq́;, Parensq;,
Sum Regina eius, Filia, Sponsa, Parens.
Ipse corona mihi, solium Regale, rubensq́;
Purpura, maiestas, gloria tota mihi.
Viuere non cupio, nisi *viuam* Regia Virgo
Tota meo *Regi*; qui mea vita mihi est.
Hunc vt Virgo Parens, *intacta* puerpera gignam;
Ecce *malum* culpæ, *sperno* parentis *Adæ*.

## CLXI.

*Tecum Adam, an in te prima Virago. salue.*

VIrginitas Euæ, Paradysi mansit in horto
Incorrupta, quoad nescia labis erat.
Hinc dici meruit, post ortum, prima Virago;
Gratia post culpam, Virginitasq́; cadit.
Hæc periit *tecum*, sociati criminis ausu,
Et gemit, *an in te* viuere possit *Adam*.
Per quam viuat Adam, Mater purissima *salue*;
Id potiùs seruit, *prima virago* tibi.

## CLXII.

*In almum surge Adame, pro Eua intacta.*

STertis *Adame* diù, culpa incumbente grauatus;
Quis vetat, ex tantis euigilare malis.
Culpa vetat credo. veniæ sed gratia præstò,
Pro te Virgo Parens, si vigilare velit.
*Surge* igitur, Matrisq́; Dei pietatis *in almum*
Tolle sinum, quidquid te premit, atq; grauat.

*Intacta* magni, tandem *pro* Numinis *E uâ*
*l*, pupilla vigil ſcilicet illa Dei eſt.

CLXIII.

*O mi Ara, per te agnitus, vadam in cælum.*

SEmper adorandæ Deitati, iuſtus in Orbe
Obſequii cultus, victima iuſta fuit;
Extructæq; aræ, ſuccenſaq; thura, ſacerq;
Mille focis, magni Numinis arſit honos.
*O mi* Diua Parens! tu maxima Numinis *ara*,
Hoſtia nam per te, fit Deus ipſe Deo.
*Agnitus o per te*, dum ſacris ignibus ardes,
*In cælum vadam*, quò mihi pandis iter.

CLXIV.

*Vna amata, optima eligas, curre in Deum.*

MArthæ cum Deus ædibus beatis,
In terris aliquando ſe dediſſet,
Sub velamine carnis hoſpitantem;
Cordis lætitiâ, duas ſorores,
Et dulcedine mille gaudiorum
Impleuit. ſatagitq; quando Martha,
Menſis fercula vt, & dapes miniſtret,
Dignas hoſpite tanto. ad ima Ieſu
Se veſtigia fudit, atq; ſacris
Aſsidens pedibus, ſoror Maria,
Verbo Numinis hæſit audiendo.
Marthæ ſollicitæ querela, ſed cum
Id ferret grauiter, Deus Mariam
Excuſat, placidoq; laudat ore;

Ad

Ad ſacras Domini quod illa plantas,
Partem elegerit optimam, beatis
Iam tum delicijs fruens amoris.
Quantò pars tibi ceſsit, ô Maria!
Cunctis altior. optimiſq; maior (
Cûi ſe, totus amor dedit tenendum;
Infuditq; Deus ſacris medullis.
Pro te, iam bona Mater, *vna amata*
Præ cunctis, ſatis optimam tuliſti
Partem; cûi nihil eſt, eritq; Diuos
Par inter Superos. ſed ô Maria (
Pro nobis precor, *eligas* ab alto,
Mittens *optima* dona gratiarum.
In *Deumq;* Beata Virgo, cunctos
Illo, quo ſuperas amore *curre*;
Vt tecum Deus, ille dulcis, ille
Currat hinnulus; ex amore noſtri,
Qui venit ſaliens, HOMOq; factus
In te, dulcis amor Deus quieuit.

CLXV.

*In lucta adiuua nos, præi Marte gemma.*

MIlitia eſt, hominis præſens in corpore vita;
Totq; per inſultus, vndiq; lucta grauis.
Lucta cruenta foris, cum gentibus; acrior intùs
Cum vitijs feruet, cumq; dracone Stygis.
Tu Stygis, & mundi, vitiorum maxima victrix,
Gemmaq; Virgo Parens, tu pretioſa Deo.

*In lucta* tanta *nos adiuua*; & vt cadat hostis,
*Marte* triumphali, tu sacra *gemma prai.*

CLXVI.

*Agna & pia, en duram mortem vici salua.*

MOrs peccatorum, post culpam, pessima cùm sit;
Durius est illa, flebiliusq; nihil,
Nullus eam vicit, macula sordente grauatus:
Qui reus est culpæ, mortis & ille reus.
Hæc mors dura nimis, nihil in me iuris habebat;
*Agna* etenim simplex, *&* *pia* Virgo fui.
*En duram mortem, vici* sine crimine *salua*;
Est mihi per Iesum, nam data prima salus.

CLXVII.

*Rectè Agna ales, piaui immunda, mortua.*

AGnas mansuetas, leni procedere passu
Nouimus, in campis pascua quando petunt.
Pernices illis, volucrum quis contulit alas?
O vtinam fugerent, calle volante lupos!
*Agna* tamen maculam fugiens pernicibus alis,
*Ales* quàm *rectè* dicor, in alta volans.
Ales sic mundum fugiens, *immunda piaui*;
Sic cùm viuo Deo, *mortua* culpa mihi est.

CLXVIII.

*Vadam & pergam cæli, aut Numinis Ara.*

MAgnifici postquam stetit, augustissima templi
Machina, cûi dederant secula nulla parem.
Immensis opibus Salomon, quam struxit, & arte;
Hîc aram stabilem, fecerat ille Deo.

Aſt ego, quæ *cæli* Princeps, *aut Numinis Ara*
Nominor; en ſtabilem Virgo relinquo locum.
Vt *vadam, & pergam*, quoad omnibus omnia fiam;
Ara ego ſum Magni, namq; animata Dei.

CLXIX.

*Metuo, Tu pia. nam ea lucida, armis regna.*

HOſtis atrox ſæuit, teliſq; minacibus inſtat,
Peruigil, aſsiduus, viq; doloq; potens,
Irrequieta ciet, diuerſo prælia motu;
Blanditur, terret, tot renouatq; vices;
Inferni contra furias, mihi nulla poteſtas,
*Tu pia*, quod *metuo*, nî ſuperare velis.
*Armis* tu *regna* victrix mea; *namq; ea* ſola es
Quæ vincis tenebras, *lucida* tota, Stygis.

CLXX.

*Speculum in vita, Deo Mater Agna Maria.*

TErſius haud quidquam, cryſtallo purius omni,
Quodq; oculos poſsit, plùs recreare Dei;
Quàm tua cryſtallus vitæ, puriſsima Virgo;
Quàmq; animæ ſpecies immaculata tuæ.
Diuinæ *ſpeculum* bonitatis, ſi nitet in te,
*In vitaq;* tua, ſi decus omne micat.
Mortales inter digniſsima ſola fuiſti;
Vt *Mater* fieres, *Agna Maria Deo.*

CLXXI.

*Vtinam recta cælis Agni, Deum pariam.*

ANgelus in cælis, ſpecie pulcherrimus olim,
Nunc deforme caput, laruaq; tetra nimis

Fecerat ingentem, peccati labe ruinam;
In terris hominum culpa, ruina fuit.
Damna tot in cælis, in terra totq; ruinas,
O *vtinam* tandem, qui reparare queat,
*Agna Deum pariam cælis*, terræq; saluti,
Agna ero communi, sic ego *recta* bono.

CLXXII.

*Actu Agnam puram, nisi amor Dei eleuat.*

DIuini culmen, nemo conscendit amoris;
Ipse Dei, quem non dulciter vrat amor,
Hûc agitur quisquis, de cælo suauibus ille
Funiculis trahitur, vinclaq; cordis habet.
Tractibus his, & tu fastigia summa petîsti;
Præ cunctis Virgo, maximè amata Deo;
Hîc *actu puram*, præ cunctis *eleuat Agnam*
Sublimatq; *Dei*, te *nisi* solus *Amor*.

CLXXIII.

*Regalis o Eua! cum mitra piè munda nata.*

ORbis ad imperium, cæli dictamine Virgo,
Atq; ex augusto, Matris honore Dei,
Cùm fueris, voto Superûm plaudente vocata,
Natales cinxit, Regia mitra tuos.
Hoc insigne fuit Virgo, quo in origine *munda*
Insignita *piè*, nescia labis eras.
*O Regalis* aue, cùm mundo nasceris *Eua*,
*Nataq; cum mitra* principe, Mater aue.

CLXXIV.

*Vi eo sertum, cranij datum palam Agnæ.*

Fronte

FRonte coronata, niuei candoris in Orbe,
Liligerum meruit nemo magisq; decus;
Mente coronata, quàm qui purissima vitæ,
Exortu meruit lilia ferre suo.
*Vi* niueæ mentis, quâ Virgo fulget in ortu;
Hoc *sertum* puræ Virginitatis *eo*,
*Cranij* vt augusta vernans in fronte triumphem,
*Agnæ*, namq;, *palam*, sum sine labe *datum*.

CLXXV.

*Misi legatum à pura carne natum, io Dea.*

ANgelus è cælis, ad me pulcherrimus ales,
Nuntius à Magno Numine missus erat;
Verbi Incarnati mysteria maxima pandens,
Resq, Dei nutu, mira volente stetit.
Nuntius è terris deerat, pacaret vt Orbem;
*A pura* in cælos, *carne* proindè mea
*Misi Legatum natum*, de Virgine, satq;
Placaui faciem Numinis, *io Dea.*

# ACERVVS V.

Veni Immaculata mea. *Cant. 5. Veers: 2.*

CLXXVI.

*Veni Immaculata mea partu rides Agno.*

IN culpa risus, miscebitur ille dolori:
Peccator ridens, mox sine fine gemet.
Ridet securè, qui non est labe grauatus,
Innocuæ mentis, conscius ipse sibi.

 Risisti

Risisti Virgo, partu Concepta beato;
Dulcis hic, & iustus, sed tibi risus erat.
Virgineo *partu*, fias mihi Mater vt *Agno*,
*O mea*, quæ *rides*, *Immaculata veni.*

CLXXVII.

*Eris Dea Patrum, Agno Immaculata veni.*

MAiorum vitio, maculam contraximus omnes;
Nascimur infelix progeniesq; Patrum.
Insueuit natura malis, rapiturq; voluntas,
In diuersa, animum præcipitatq; ruens.
Nescia peccati, tu nobis nascere Virgo;
Tu Mater veniæ, spesq; salutis *eris*!
Tu *Dea* sisq; *Patrum* reparatrix; ocyus *Agno*
Ergo Dei Genitrix, *Immaculata veni.*

CLXXVIII.

*Natis ergò Adam, purè Immaculata veni.*

COnditio vitæ quam viuimus, anxia nobis
Per maculam facta est, sollicitosq; premit.
Quis caput extollat? quis coram Numine Summo
Securus viuat? quem sua culpa grauat.
Quem rodit vermis, rea mens quem lancinat intùs;
Nempè vbi culpa manet, nescit abesse timor.
*Ergò* securos vt reddas, condita *purè*,
Mater, *Adam natis Immaculata veni.*

CLXXIX.

*Is Agna, per Deum orta, Immaculata veni.*

QVid de te maius? vel quid sublimius vnquam,
Laudibus innumeris, dicere Virgo queo?

Tota

Tota supergrederis cælos, & vincis abyssos,
Dum Matris titulo proxima facta Deo es.
Hæc tua maiestas, hoc non superabile nomen,
Excessum magni, prorsùs honoris habet.
*Is* tam pura, *Deum* tanquam sis *orta per* ipsum;
*Immaculata* proin, Numinis *Agna veni.*

CLXXX.

*I Agnus par Deo, Mater Immaculata veni.*

DVm gemimus soboles iræ, dum iusta reatus
Pœna malos torquet, consiliumq; deest
Numinis à facie proiectis; cor tibi Iesu,
Sollicitus nostri, maximus vrit amor;
Vt faciem placare Patris, saluareq; mundum,
*Par Agnus* possis in Deitate *Deo,*
*I* proin, & cælos rumpas. sed tu quoq; *Mater,*
Vt Iesum parias, *Immaculata veni.*

CLXXXI.

*Mare portas Dei Agna, Immaculata veni.*

DIceris o Mater purissima, gratiæ abyssus!
Et iustè titulus, conuenit iste tibi.
Nempè vtero claudis Dominum, qui solus abyssos
Condidit, immensa legeq; mensus erat.
O Stupor ! o superans Virgo tua gratia cunctas!
Quando *Dei portas*, casta puella *mare.*
Ex hoc *Agna* mari Diuino, vt nos quoq; dites;
*Immaculata* maris, gemma Maria *veni.*

CLXXXII.

*Mater, priùs Agna, Deo Immaculata veni.*

IN lim-

IN limbo detenta Patrum suspiria, Virgo
Te poscunt nasci, continuòq; gemunt;
Te peccatorum tot millia, vincta reatu,
Implorant vdis, flendo madentq; genis.
Tu gemitus, lachrymasq; vt sistas, nascere tandem,
Natales ambit, terra, polusq; tuos.
Vt veniat promissa redemptio, tu *priùs* Agno,
*Immaculata veni Mater*, vt *Agna Deo*.

CLXXXIII.

*Agnum porta reis Dea, Immaculata veni.*

PErdita post maculam culpæ, dum fortè vagatur,
Pastoremq; suum nôsse recusat ouis;
Quærit eam, cælo descendens Pastor ab alto;
Inuentamq; humeris baiulat ipse suis.
Sed per mille vices, refugit dum rursùs, & errat,
Prouocat offensi, iusta flagella Dei.
Hæc, vt contineas, *Agnum* pro munere *porta*,
Vt *Dea* sisq; *reis*, *Immaculata veni*.

CLXXXIV.

*Cometa mortis da alma, purga veni, veni.*

QVàm fatale iubar, tristissima quæq; minetur,
Vrbibus, & populis, quando Cometá micat;
Sanguineæ cædes, tumuli, vastæq; ruinæ,
Casibus inq; suis, regna sepulta docent.
*Mortis* hîc, Odrysio qui fulgurat igne *Cometa*,
Omen vt infaustum, nuntiet ille Getis.
Da vires, maculas *purga*, Turcasq; triumphans
*Alma veni* Virgo, nostra corona *veni*.

CLXXXV.

CLXXXV.

*Virago Panem trades, Immaculata veni.*

MElchisedec panem cælestibus intulit aris;
Qui Panis Christi, simbola prisca dedit.
De cælo Panis, Iudæas depluit inter
Electas acies, parq; figura fuit.
Angelici Panis, non iam tu Virgo figuram;
Sed carnis Christi, fercula sancta paras.
Ergò *Virago* Deum nobis, in carne latentem,
Quæ *Panem trades*, *Immaculata veni.*

CLXXXVI.

*Læta sum pergam cordi, veni amata veni.*

OMnibus expando mea viscera, corq; reuelo,
Alma ferens cunctis, Mater amoris opem.
Dilatauit amor mihi viscera; quando tenellam
Me, Summum fecit claudere posse Deum.
Hinc ego dilectis, in me *sum læta* ferendis,
Hinc illos *pergam cordi* habuisse meo.
Si cor Virgineum, si nobis viscera pandis;
Ad nos ergo *veni*, Mater *amata veni.*

CLXXXVII.

*Agna pro Matre dites Immaculata veni.*

IN desiderijs animæ, dum vota supersunt;
Ad te, mille iterùm fundere vota, licet;
Quæ vinci renuis benefactis, vastaq; quamuis
Pondera votorum vincere, dulcè putas.
Ergò licet rursùm, geminatis vincere votis,
Cordeq; deuoto poscere Virgo licet.

*Agna* Dei *pro Matre* veni, sit gratia *diues*,
Vt tecum nobis, *Immaculata veni*.

CLXXXVIII.

*Tremor Deus Agna pia, Immaculata veni.*

ELectis amor est Deus, ac immensa voluptas;
Sed miseris tremor est maximus, ille malis.
Conscia mens recti gaudet secura, sacrisq;
Delicijs fruitur; mens rea tota tremit.
Si *tremor* est *Deus*, in culpa sordentibus eheu!
Quis dabit? vt pulso crimine fiat amor.
*Immaculata veni*, *pia* Mater Numinis *Agna*;
Tu fac, vt tremor hic, sit mihi dulcis amor.

CLXXXIX.

*Agno Dei Tu pars mera, Immaculata veni.*

CVm Diuinus amor statuisset, tollere culpam;
Hunanum per quam, concidit omne genus;
Admiranda hominis decreta redemptio fecit;
Agnus vt in terris, victima grata Deo,
Solueret immenso pretio, mala debita culpæ,
Virginei partem sanguinis, ille gerens.
Virgo, *Dei* partem quæ confers sanguinis *Agno*,
Agni *Tu mera pars*, *Immaculata veni*.

CXC.

*Mira, prudens, à Te ago, Immaculata veni.*

POst Christum Virgo, Mater purissima Christi,
Cùm summè mirum, sis Deitatis opus,
Cuncta Creatricis dextræ miracula vincis,
Ortu mira tuo, proleq; mira Dei.

Ast simul & prudens, sinuosi quæ caput anguis
Victo peccato, principe calce premis.
Hoc *ago*, *mira* Dei Mater, *prudensq;* quod *à te*
Orbis auet supplex, *Immaculata veni*.

CXCI.

*Ens partu erigo Adam, Immaculata veni.*

OMnia quæ fecit Deus entia, sat bona fecit;
Ex bonitate mera, nam bona fecit amor.
Quid meruit fieri, quod non fuit? aut quid in orbe
Inuenies? quod se fecerit, vt fieret.
Ens ego, post Christum, tamen entia vinco creata;
Virgineo *partu*, quæ noua Mater *Adam*
*Erigo*; sic poscunt, vt surgant entia lapsa,
*Immaculata* Parens, *ens* sine labe *veni*.

CXCII.

*Amen das Virgo Patre, Immaculata veni.*

PRincipium fueras vitæ, nostræq; salutis;
Inciperes vitam, cùm sine labe tuam;
Sed magis hoc Virgo, partu sine labe dedisti;
Cùm rerum datus est, Alpha & Omega Deus
Factus Homo nobis, Diuinus paruulus ex te;
Gignere concessum, quem sine *Patre* tibi.
Ergò *veni*: nam quæ dederas exordio nostræ,
*Immaculata en das Virgo*, salutis *Amen*.

CXCIII.

*Laus Deo Patri, Agna cantum mirè meaui.*

NIl mihi dulcius est, quàm si prædulce canatur,
Nuntius è cælis, quod mihi dixit Aue.
Hoc geminat quisquis, geminat mihi gaudia cordis;
Diuinæ peperit, quæ mihi Matris honos.
Hunc *mirè* dulcem, per tot mysteria *cantum*,
Plectra mihi toties, dum geminata canunt;
*Agna* quod Angelicis verbis cantata *meaui*;
*Laus* æterna *Deo*, iam sit honosq; *Patri*.

CXCIV.

*Laus Nato Dei mei, cùm iam ter pura Agna.*

AD solium prosterno tuum, dum barbita Vates,
O Deus; o plectri gratia tota mei!
Angelicis toties verbis, ex ordine ductis,
Vltima votorum, quando coronis adest;
Seraphicis finire modis, si fortè liceret;
Seraphicis caneret, sic mea Musa modis;
*Agna* Dei Genitrix, *cùm iam ter pura* triumphat;
*Nato* summa *Dei*, *laus* sonet ergò *mei*.

CXCV.

*Laus Deo Igni, cùm mea trinè amata pura.*

FLaminis æterni, Diuina negotia, Virgo
Visceribus sensit, quando peracta suis;
Arcanum cæleste ferens, purissima tota
Fœta Deo facta est, arsit & igne Deo.
Spiritus ignis erat, de quo concepit, huicq;
*Laus Igni* cedat, Spirituiq; *Deo*.

Diuinæ Triadi, cùm *trinè* plaudit *Amata*,
*Puraq;* in exortu, *cùm mea* Virgo micat.

CXCVI

*Paruulo IESV, Magnæ Matri iam cedant.*

MAxima res, minimis tentata est Viribus à me;
Humanis quando vocibus, ausa loqui
Angelicum tentauit Aue, quod supplice Musa
Debebat cultu, fors siluisse magis.
Paruule mi Iesv, sed Magnæ Matris amore,
Hoc minimi quæso, suscipe Vatis opus.
Maximus es Deitate Deus; sed Maxime paruum
Infantem, summus te mihi fecit amor.
Magna tua est Mater, Virgo purissima; sed se
Ancillam minimam, dixerat esse tuam.
Ergò tibi *IESV iam cedant paruulo*, & vna
Hæc *Magnæ Matri*, sint metra grata tuæ,
Sic erit in paruis, tibi maxima gloria Iesu;
In minimis viuet, sic tua Magna Parens.

CXCVII.

*Cedant amori Agnæ, summa è partu vili.*

QVis concepit Aue? vel quis dictauit? vt illud
Angelico Gabriel, disceret ore loqui.
Concepit, dictauit amor Diuinus; vt Agna
Nosceret, immensi quod sit amoris Aue,
Hoc cantemus Aue, summi quod fecit amoris
Ingenium, nullum quod capit ingenium.
Germina sed partus, quoniam vilissima nostri,
Quæ maculam sapiunt, labeq; pressa gemunt.

Immaculatus honos, maiestas, gloria, summum
Agnæ Diuinæ, non patiturq; decus;
Excuset, quod fecit amor, commendet, & ornet;
Atq; suum gemmis, ipse coronet Aue.
Sic erit, vt *cedant Agnæ* cælestis *amori*
Omnia, quæ vili carmine Musa canit.
*E vili partu*, faciet sic omnia *summa*,
Virgineæ laudis, maximus author Amor.

CXCVIII.

*Cedant Mariæ summa, igitur vale pone.*

OMnia debentur Diuinæ summa Parenti;
Cùm sola tantùm, sit Deitate minor.
Hinc nemo paribus numeris, aut ore diserto,
Virgine de summa, dicere summa potest.
Solus eam dicat Summus, qui solus in illa
Nouit, quæ tribuit maxima dona Deus.
Cætera quæ mundo, de rebus *summa* videntur,
Humanusq; facit, quæ pretiosa valor;
*Cedant* Augustæ non exæquanda *MARIÆ*;
Cûi dedit Augustam, nulla corona parem.
Hoc fateor Virgo, minimus dum supplico Vates,
Subijciens plantis, infima plectra tuis;
Vt quod serpit humi, tu dextra Principe tollas;
Adijciasq; tui luminis, ipsa decus.
Da pretium de te, da magni nominis vmbram,
Dilectumq; tibi, quod geminamus Aue,
*Pone* sinu Matris, positum sic omnia vincet;
Sic *igitur* Victrix Immaculata, *vale*.

*Licet impar nisu, deuoue Anagrammata.*

HActenùs audaci nimiùm buxoq; , liraq;
Grande tibi licuit, psallere Musa melos.
Tunè quod infinita Trias, sapientia, virtus,
Maiestasq; Dei maxima, dixit Aue?
Tunè quod Angelico, genius purissimus ore,
Vix dignè potuit, nuntius ille loqui?
Impuris tentare modis, & sensibus ausa es?
Quod dicent ausu, secula nulla pari.
Virginis hæc cortina sacræ, tripos aureus Orbis,
Velamenq; sacrum, quod Deus ipse sibi
Signatum voluit, gemmâ Deitatis habere;
Augustal Regum Regis, & arca poli,
Non reseranda manu mortali, conscia gazæ
Diuitis, & soli clausa, patensq; Deo.
Hancnè tibi licuit, fœda contingere dextra?
Concentu plectri, vel temerare tui?
Pro stupor, & lethale nefas ( nisi Virginis Almæ
Hoc totum pietas, gratia niq; tegat;
Excuset, veniæq; locum nisi præparet ipsa,
Authorem veniæ, quæ tulit Agna Deum.
Hæc spes, hæc animi tollit fiducia Vatem;
Solamen cytharæ, sit quoq; Musa tuæ.
Quod pia Virgo tuos, de se non respuat ausus,
Materno nec eos, proijciatq; sinu.
Ergò *licet nisu*, minimi sis, carminis *impar*,
Et culpæ vitio, sis maculosa licet;

Deuoue

*Deuoue* ad Auguſtas *Anagrammata* Virginis aras,
Et ſupplex *illi*, barbita ſterne tua.
Conceptus ſine labe ſuos, dignabitur ipſa,
E cælis niuea, tollere Virgo manu;
Proq; tuis impura modis, pro carmine vili;
Ipſa dabit gemmas, Lilia pura dabit.
Sic, quod erat per te non purum illa, proferet
Angelicum puræ Virginitatis Aue.

CC.

*Pandens Immaculata viuat ergo Maria.*

VIrgineæ tandem puriſsima Lilia meſsis,
Vltima, de niueo, linea claudit Aue.
Horrea liligeris candent diſtenta manîplis,
Iamq; operis finem, quintus Aceruus habet,
Fragrat odor florum, cælo dilecta voluptas,
Angelicos etiam, prouocat inde choros.
Poſt dulces operas, veniunt mellita laborum
Gaudia, meſſori venit amica quies,
Falcibus en poſitis, qui cælo brachia tollens,
Æterniq; cadens Numinis ante thronum;
Angelicæ meſsis, niueos ex ordine Faſces,
Et totum, quod pro Virgine fecit opus,
Compoſitis quina ſerie, dum ſurgit Aceruis;
Dum ſacer ex illis, balſama ſpirat odor;
Votiuo dicat Alma Trias, tibi carmine ſupplex;
Poſtq; ſacras meſſes, Io triumphe canit.
*Pandens* arcanum, quo non ſecretius vllum
Verbi Incarnati, dum parit ipſa Deum;

Conce-

Conceptus sine labe sui, mysteria pandens,
Humano nunquam concipienda modo;
In cælumq; viam, sacra per vestigia pandens,
Perq; suas, nobis Mater amica preces;
Orbis in applausu, cælo, terraq; canente;
*Ergò* sub Angelico, quando triumphat Aue;
Alma Dei *viuet* Genitrix, & Virgo *Maria*,
Conceptus Victrix *Immaculata* sui
Viuet; & æterno canet exaltata triumpho,
Immensæ Triadi nobile carmen, Amen.

*A. M. D. G. B. M. V. H.*

EX PROGRAMMATE.

Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu, in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ, Amen.

# SERTVM
## Anagrammaticè combinatum.

EVa morsu pomi vetiti ruit, ac Paradyso priuauit nos, Tu Mater IESV non tardè; nam tunc succurrens, nos nunc redire facis. Hinc bis beatam, ter benedictam, te tutam abs originali labe seriò tenemus.

Sicut in Programmate, sic in Anagrammate hoc, omnes literæ sunt 158.

*Ex quibus*

a b c d e f g h i l m n o p r ſ t u
16 5 8 4 17 1 1 1 17 2 8 13 8 3 13 12 15 14

Ex hoc Serto ANAGRAMMATICO,
DEIPARÆ VIRGINI
abſq; macula originali Conceptæ,
ad ritum veterem deductus
Plauſus triumphalis.

## STROPHE.

EVA parens hominum, quæ puro fulſerat ortu;
MORSV dolendo dum gulæ paret ſuæ,
VETITI ſacro Tonantis ore Supremi,
POMI, quod anguis ſuaſerat impius,
RVIT gradu vitæ beato;
Ac quod eſt flendum lachrymis cruentis
PARADISO, & omni gratia
PRIVAVIT, Superûm delicijs procul,
NOS iam, proh dolor exules!

## ANTISTROPHE.

TV noua, Virgineæ tu rurſus originis Eua;
MATER ſtupendæ puritatis vnica,
IESVq; dulce corculum, parens vitæ,
NON ſegne nobis auxilium ferens,
TARDE nec ad nos prouolaſti.
NAM Dei quæ iam fueras abyſſus,
TVNC deſtinata cælitùs,
SVCCVRRENS miſeris Diua clientibus,
Nos Puriſsima Virginum,

EPO-

## EPODOS.

NVNC ad cælituum sacros penates,
REDIRE calle iam feliciori
FACIS; redemit quos Redēptor Orbis, in ligno Crucis.
HINC te carmine dulci
BIS super omnes
BEATAM, & eminentis inter Virgines,
TER merito niuei pudoris
BENEDICTAM, & ipsis Angelis Dei Matrem,
TE puram magis vt veneramur;
TVTAM sic ortu, dicimus esse tuo,
ABS minima macula
ORIGINALI, omni procul
LABE; sed æternùm niteas quod puritate summa,
SERIÒ, & inuicta pro te, pietate calentes
TENEMVS Io! psallimusq;
MAGNA DEI MATER, PVRÈ CONCEPTA TRIVMPHET.

## MESSIS LILIORVM QVINARIÆ,

in quinq; fasces collectæ, & in quinq; Aceruos dispositæ,
DEVOTO MESSORI,
quinq; vernantes
pro sacra, & ingeniosa opera
CORONÆ.

I.

QVis te conduxit, niueos ad Virginis hortos?
Falcibus vt meteres, lilia pura tuis.

Fors dices? conduxit amor; sed spontè volente m;
Ipse mihi dux est, ipse corona mihi.
Nil peto, nil cupio, pro paupertate Minorum,
Sufficit ipse mihi fructus amoris, amor.
Ingeniosus amor, dum nil petit omnia tollit;
Omnia tollit enim præmia, solus amor.

II.

CVr non agrorum, Ceteris per iugera messem;
Sed florum potiùs, mi bone messor amas?
Horrea proueniunt, frugum de messe beata;
Sed fructus nullos, florida dona ferunt.
Cara Deo pietas, quia nullos possidet agros;
Fors metere ex agris, non licet ergo tibi.
Sed licet ex hortis, tua proferet horrea IESVS
Flos Nazarenus, flosq; Maria satis.

III.

MEssorem quod agas, laudo; sed messor in hortis
Quod sis, plenè operam non ego laudo tuam.
Non labor in campis, Floræ vernantis in horto
Deliciæ potiùs, sed placuêre tibi.
Parce mihi, non vis operam, sed dulcia Tempe,
Delectant animi, culta vireta tui.
Excuso Vates Messorem. nam tuus iste,
Inter delicias, otia nescit amor.

IV.

ÆQuora camporum, montanaq; cuncta relinquens,
Valle sub vmbrosa, florida dona metis.
Æstiuos Messor, refugis si fortè labores?
Non te Messoris nomine, dignor ego.

Vmbram non captas, quamuis in valle labores;
Seraphico hîc etiam, Virginis igne calens;
Sed Mariana placet tibi vallis florida; nempè
Summa metunt alij, tu ſaçer ima metis.

V.

HIc vbi liligeris, Meſsis tua floret ariſtis,
Floribus his vernans, neſcio quis ſit ager?
Sed ſcio, quod vicibus toties hac Meſſe reductis,
Angelicæ vernans, ſit tibi vocis ager.
Si metis Angelicis puriſsima lilia campis?
Virgineæ meſsis, quàm benè Seraphin es!
Sit tibi Seraphico Meſſori, iure proindè
Cûi adſtas propiùs, ſola corona Deus.

# Ex eadem Salutatione Angelica,

de minimo Vate,
Magni, & Muſas amantis ingenij

## ANAGRAMMA.

MAriam deſuper immunem à venatu dæmonis, ſat piè adorauit Vrbs Leopolis. inuentionis hoc genere, tu Maro Craci, tu Bieſſanoui, vt ſunt barbita feri, ter DCCC. canente carmine, vt ſit tuba turris.

Canitur hoc Anagramma, ad morẽ Pòéſeos Argiuæ.

## STROPHE.

MARIAM in Orbis quod facie cano,
DESVPER ex Sacræ Triados beato,

IMMVNEM iuſſu, per totq; oracula cæli,
A nimis ſæuo Stygij Tyranni
VENATV, laqueiſq;
DÆMONIS, à macu laq; culpæ
VRBS elegantis ingenî medulla
LEOPOLIS inuicti Gradiui gloria,
SAT cultu venerabili

## ANTISTROPHE.

PIE per Aras, templaq; maxima
ADORAVIT, & extulit triumphis.
TV Vates oculi viſu priuate tot annis,
& MARO, ſed non Latij potentis
CRACI Palladis altæ,
TV Lechicis, ſed amande plectris,
BIEZANOVI Phœbi vetus ſacerdos,
INVENTIONIS omnium lectiſsimæ
Hoc de principe Virginum,

## EPODOS.

GENERE canendi,quod Deo placet ſummè,
GVT tibi pro cultu Mariano,
SVNT animata ſacro
BARBITA zelo,
FERI ſonoris plauſibus,
TERq; octingentis da pia vota metris,
CANENTE ſolennes triumphos
CARMINE feſtiuo, tantiſq; laboribus apto;
VT pro Virgineæ ſpecioſo puritatis ortu,

SIT

Sit per ſecula, maximæ
Tuba, & perenne claſsicum victoriæ
Turris, quæ ſpecie fulget eburnea,
Tota pulchra, tota munda, tota culpæ neſcia.

## Charites Pöétæ, pro gratia Anagrãmatis.

INgenioſa tui, quod de me cura laboris,
Ordine mutato, fecit in Orbe legi;
Hoc tibi reddo libens, roſei cultiſsime floris
Flos hominum, Latij flos in vtroq; ſtylo,
Flos Iuris Patrij, Phœbi, Suadæq; voluptas;
Cûi fauet Hyblæis, Attica Muſa Roſis.
Litera tot vicibus, tibi me variata reuelat;
Virginis ex dulci, quæ variatur Aue.
Litera te prodat quis ſis, & nuntiet Orbi;
Quæ ſacrum toties, litera mutat Aue.
Nam ſine peccati ſpinis concepta Maria,
Vnica Diuini cordis, amica Roſa,
Si cordi ſapit illa tuo, ſi ſpirat odores
Angelicos, dextram munificamq; probat;
Par mihi cùm non ſit reddendo gratia voto,
Æquè cùm nequeat, pſallere noſtra Charis;
Angelicis de te promens oracula verbis,
Proferat ecce meras, Angelus ipſe Roſas.

## Ex eadem Salútatione Angelica,

De Illuſtri, & Sanctiſsimæ Virginis, ſine macula Originali Conceptæ, piè amantiſsimo viro

## Anagramma.

MAria

MAria rosa sine spina peccati, amor est, & delicium cordis tui; Tu Vir Magne, Stemmatis Rosei. Beata hæc mens, labi innocens, pura vni datur, nutu benedicet; vt fiat tua bis rubens Virgo Corona.

## Canitur Anagramma ad Cytharā priscam.

### STROPHE.

MARIA summæ celsitudinis Virgo,
ROSA, & rosarum purpuræ flos maximus,
SINE Originis ex parente primo
SPINA lethali, sine acutis
PECCATI tribulis, fragrans, purissima tota,
AMOR beatus, suauis, ex medulla
EST Gratiarum, fonteq; nectaris
ET gratum Superis tuæ,
DELICIVM pietatis almæ,
CORDISq; deuoti beata

### ANTISTROPHE.

TVI voluptas, mille balsama exsudans;
TV Iuris Augustum tribunal Lechici,
VIR prisci Latij diserte cultu,
MAGNEq; consilij tripos alti,
STEMMATIS antiquo natales sanguine claros
ROSEI decoris habens, fragrantiæq;,
BEATA Magni Virgo Parens Dei,
HÆC cælestibus æmula,
MENS Seraphin Cherubinq; vincens
LABIq; de pomi nefasti

EPO-

## EPODOS.

INNOCENS tangi Stygio veneno,
PVRA triumphans,
VNI nonnisi Mater
DATVR stupenda Numini;
NVNC cælesti, Virgineaq; manu,
BENEDICET hæc dilecta puritas tibi;
VT pro zelosa pietate tua, manuq; larga,
FIAT amica Deo
TVA, & pij mellita suauitas cordis;
BIS de purpureæ germine gratiæ,
RVBENS in ortu, Numinisq; maximi partu sacro,
VIRGO fœta, casta Mater, hæc sit in cælo ROSA
CORONA virtutis tuæ pulcherrima.

## Pro venia ANAGRAMMATIS,

*In quo mutantur duæ consonantes R & N, in duas vocales A. & I.*

QVæ spirat iras litera, quæ negat,
Decenter hîc est in geminas tuo
Mutata vocales honori.
Nẽpè tuũ decus, hoc poposcit,
Et per Trionis climata Lechici
Vocale nomen. gloria nam sonat
Te plena, non quæ consonantem
Poscit opem, nihil ipsa per se
Valens, tumultu ni popularium
Tollatur. at tu plausibus haud eges,
Satis coronatus te ipso,
Fonsq; tuæ tibi dignitatis, Hh Tuo

Tuo beatus defluis alueo.
I ergo felix altiùs, & tuo
Vir Magne Vexillo triumphans,
Vota hominū, calamosq; vince.

EMBLEMA
Centum ANAGRAMMATUM,
*Illustri & Magnifico Domino,*
ANDREÆ ZYDOWSKI,
VEXILLIFERO CRACOVIENSI,
Ex eius Nomine, & Cognomine,
DICATVM,
ab Authore Messis Quinariæ, Fascium,
& Aceruorum,
Ex Salutatione Angelica Anagrammaticè collectorum.

PROGRAMMA.
ANDREAS SIDOVVSCIUS
ex hoc Programmate,

ANAGRAMMA J.
*De Rosis vna Ducissa.*
Est Rosa de spinis, sine spinis orta Maria,
*Deq;* Sacris hæc est, *vna Ducissa rosis.*

II.
*Da Deus, cui vnis Rosas.*
*Da Deus*, æternæ cælestia dona coronæ,
Ipse meas *vnis, cûi* sine labe *rosas.*

III.

III.

*Ornas, das vivis decus.*

Immaculata rosis nos *ornas* Virgo pudicis,
*Das* roseum *viuis*, o rosa viua *decus*!

IV.

*Vicinus Deus ad Rosas.*

*Vicinus* nobis *Deus*, est tunc factus in Orbe,
Virginis *ad* castas, dum salit ille *rosas*.

V.

*Væ cadis nudus Rosis.*

*Væ* tibi, Virginea draco dum *cadis* impie plãta;
Nempè rigens spinis, *nudus* erasq; *rosis*.

VI.

*Vni duas educis Rosas.*

Virginis, & Matris, geminus tibi flos fauet *vni*,
*Educisq; duas*, vnica Virgo *Rosas*.

VII.

*Sic das duas, vni Rosæ.*

Virgo te Iesu peperit, Materq; ; coronas
*Sicq; duas vni, das* sine labe *rosæ*.

VIII.

*Cuiuis, das, orandus es.*

*Cuiuis*, mi IESV, largæ *das* munera dextræ;
*Orandus* tamen *es*, Matris amore tuæ.

IX.

*Videns audis duc rosas.*

Cuncta *videns*, *audis* Iesu suspiria nostra;
Ad nos cælestes, *duc* precor ergo *rosas*.

X.

*Sic vnus da Diue rosas.*

*Vnus* amor meus es, Diuino sanguine tinctas
*Sic* Iesu sacras, *da* mihi *Diue rosas.*

XI.

*Nudas rosas, i duc Iesu.*

Nudus amor *Iesu*, Crucis inter brachia, *nudas*
*I duc*, & lacero corpore sparge *rosas.*

XII.

*Diuus Onias es, cur das?*

*Diues es Onias* Iesu; qui victima factus
*Cur das*? Vt tua sic viscera, rumpat amor.

XIII.

*Rosa vnius, is ad Duces.*

*Vnius* es cordis Diuini, tu *rosa* Iesu;
*Is* tamen *ad* multos, vt moriare *Duces.*

XIV.

*En sudas, viuis das cor.*

*En* cùm pro nostræ *sudas* certamine vitæ;
*Cor viuis* Iesu *das*, animamq; tuam.

XV.

*Aue Rosa, sis nidus, duc.*

Dulcis *Aue* Iesu, proprio *Rosa* sanguine tincta;
*Nidus sis*, ad te *duc* animamq; meam.

XVI.

*Sanus Diue i? duc Rosas.*

Omnia qui sanas, vt *sanus* sim tibi Iesu;
*I duc Diue* tuas, ad mea corda *rosas.*

XVII.

*Sudes Vir, o casa nudis.*

*Sudes*

*Sudes* ô Iesu! pro *nudis*, *Virq;* dolorum;
Sis precor *ô* animæ, Tu *casa* sancta meæ!

XVIII.

*Isaac residuus nodus.*

ORbis Redemptor, alter *Isaac* Iesu
Dum vincla soluis, morte dũ reos saluas;
Vinctus, ligatus, factus es velut *nodus*
Mortis *residuus*, pendulus Crucis ligno,
Vt nodus esses, cordiumq; amor totus.

XIX.

*Diù vides canus rosis.*

*Canus* eris, *vadesq; diù* per tempora vitæ;
Virgo tibi niueis, dum fauet ipsa *rosis*.

XX.

*Os Dauid, versus canis.*

*Os Dauid, verusq;* sacros reuocare videris,
Matrem Diuinam, qui sine labe *canis*.

XXI.

*Vir es? sis, ac suda nudo.*

*Vir es* amans, & *sis* puræ sine labe Mariæ;
*Ac suda nudo* corde, placere Deo.

XXII.

*Suauis es, da nudis cor.*

*Suauis es* ô Iesu! sinceri cordis amator;
*Da nudis*, nudum *cor* in amore tuo.

XXIII.

*Cor viuis nudas, das es.*

*Cor viuis nudas*, dum lancea vulnerat illud;
*Das* cor, cordis *es* hinc tu quoq; totus amor. XXIV.

XXIV.

*Isaias nudus securus.*

Myſtica quæ dixit Magna de Virgine Matre,
Arcano ſenſu, non patuêre diù; (pheta;
Sed iam nuda patent, cecinit quæ verba Pro-
Quando reuelauit myſtica cuncta Deus.
*Isaias nudus* loquitur; nam cælitùs ortam,
*Securus* veri, nunc habet ille fidem.

XXV.

*Vis David vrſos necas.*

Paruulus es *David*, ſed *vis* tibi maxima Ieſu;
*Vrſos* quando Stygis, monſtraq; ſæua *necas*.

XXVI.

*Sis decus Diuus Aaron.*

*Sis Aaron Diuus*, Diuinæ Matris amator;
Virgoq; caſta Parens, ſit *decus* ipſa tibi.

XXVII.

*I! vnus, i decus ad roſas.*

*I vnus* Ieſu, ſed ſpes mea tota, ſaluſq;;
*I decus, ad* cæli nos quoq; tolle *roſas*.

XXVIII.

*I! Ieſu duc roſas nudas.*

*I! Ieſu*, ſpinas vt ſacro vertice portes,
*Duc nudas*, ex hoc vertice, quæſo *roſas*.

XXIX.

*Niſu adduc Ieſu roſas.*

*Niſu*, quo Matri tua *Ieſu* baſia figis,
*Adduc* purpureas, eius ab ore *Roſas*.

XXX.

XXX.

*Duc Diuinus eas Rosas.*

Quas *Diuinus* amor, Matris plantauit in horto;
Iesu dulcis, *eas duc* sine labe *rosas.*

XXXI.

*Rosa dans viuis decus.*

Si decus est animæ, Genitrix si gratia vitæ.
Tu *rosa dans viuis*, hoc pia Virgo *decus.*

XXXII.

*Ens audis, duc vi rosas.*

*Ens audis*, quo non post Christũ purius vllum;
*Duc vi*, Supremo Mater ab Ente *rosas.*

XXXIII.

*Vnus à rosa, decus Dijs.*

Tu *decus* es Iesu, *Dîs* omnibus altius vnum,
*Vnus à* Rosa, flos veniensq; *rosa.*

XXXIV.

*Sinceros addas Viuus.*

Qui sincerus amas Iesum, cum Virgine Matre,
*Sinceros addas*, *viuus* in Orbe dies.

XXXV.

*Sudes Diuinus ac Rosa.*

Vt pro Matre Dei, feruenti pectore *sudes*,
*Diuinus* flos sis, *ac Rosa* cara Deo.

XXXVI.

*Is nudus, ac diues Rosas.*

In Cruce dum pendens, *is* pro me *nudus* Iesu;
Floridus *ac diues*, sanguinis esto *Rosa.*

XXXVII.

XXXVII.

*Deus, rosa, casui nidus.*

In spinis quamuis *rosa* mi *Deus*, alma fuisti;
*Casui* in excelsa, sed Cruce *nidus* eras.

XXXVIII.

*Ores, suauis candidus.*

*Ores* pro mundi, mi Iesu, quæso salute,
*Cándidus* ante Patrem, *suauis* olorq; canas.

XXXIX.

*Vendicas Diuus Rosas.*

*Rosas Diuus* amor, beatiores
*Vendicas* tibi, quas genis pudicis
Circumfert pia Virgo, casta Mater;
Nempè quod Deus egit in Maria,
Immensi fuit hoc opus fauoris.

XL.

*Vindicas, Deus rosas.*

Iesu, dum tibi destinata Mater
E spinis velut orta, prodijsset
Spinis tota carens; *rosas* pudoris
Eius Virginei, sacrasq; cunas,
*Vindicas Deus* à nota parentum,
Ipse Conditor eius, ipse vindex.

XLI.

*Sinus rosas vi adduces.*

*Vi* dulci, castoq; *sinu*, Tu Virgo beatas,
Cælitùs *adduces* immaculata *rosas.*

XLII.

*Candidus*

*Candidus visu, Rosa es.*

*Candidus* es *visu*, flos Matris paruule Iesu;
Sed rubicũda *Rosa es*, sanguine quando mades.

XLIII.

*I! vnus Deus, dica Rosas.*

Cum Patre, cum sacro *Deus vnus* Pneumate Iesu,
*I*! nostrasq; *dica*, flos pretiose *rosas*.

XLIV.

*Vuis rosa dans decus i.*

In Cruce sanguineis, mi Iesu, *dans decus vuis*,
*I rosa*, sed spinis puncta, cruore pluens.

XLV.

*Suauis i! des, duc rosas.*

*I suauis* Virgo, quoniam conclusus es hortus;
*Des* florem casto germine, *ducq; rosas*.

XLVI.

*Nudis rosa es, duc vias.*

O Mater! niueo quos culpa orbauit amictu,
*Es rosa* tu *nudis*, *duc* & in astra *vias*.

XLVII.

*Ducens rosas, da viuis.*

*Ducens* Virgo *rosas*, *da* florida munera *viuis*,
Nam tibi flos vitæ Filius, ipse rosa est.

XLVIII.

*Roseus da nudis, ac vis.*

Es *roseus* Iesu, *da nudis* tegmen amoris,
Te bonitas, *ac vis* fecit amore mori.

XLIX.

*Es roſa viuis, dans duc.*

*Es roſa* tu *viuis*, nam per te viuimus omnes;
*Dans* vitam Ieſu; *duc* in amore tuos.

L.

*Aue roſis, dicas nudus.*

*Nudus aue* ſpinis ſi *dicas*, ô bone Ieſu!
Gratius hoc tibi, quàm dicere velle *roſis*.

LI.

*Si roſa es, i! vnus duc da.*

*Si roſa es, i vnus*, mi Ieſu floſcule cordis;
*Da* mihi corq; tuum, *duc* tibi corq; meum.

LII.

*Si niueus? ad roſas duc.*

*Si niueus* flos es, caſto de germine Ieſu;
Nos *ad* Virgineas, *duc* ſine labe *roſas*.

LIII.

*Is carus, da oues nudis.*

*Is carus*, quando Ieſu dulciſsime Paſtor;
*Da nudis* humeris, quas tibi quæris *oues*.

LIV.

*Das ac roſeus vi nudis.*

*Vi* mortis ſacræ, Ieſu *das* omnia *nudis*,
*Ac roſeus* flos es, ſanguine quando pluis.

LV.

*O care! das viſus nudis.*

Vt videant, *o care* nimis! tua lumina Ieſu,
*Das viſus nudis*, quos tuus ornat amor.

LVI.

*Viuis re cado, ſis dans.*

*Re viuus* dum labe *cado*, vitijſq; fatiſco;
Ieſu *dans* mihi, *ſis* quæſo ſalutis opem.

LVII.

*Vi das nudis roſaceus.*

Flos, & amor Ieſu *roſacêus*, tu crimine *nudis*;
*Vi* Crucis, & mortis, *das* ſacra dona tuæ.

LVIII.

*Sis cadens, ora viduus.*

Antè Patrem, dilecte *cadens* Saluator in hórto,
*Ora* cêu *viduus*, *ſiſq;* columna mihi.

LIX.

*Corde ſanus, das viuis.*

*Das viuis*, vt ſis Ieſu medicina ſalutis;
Fac vt *corde* meo, ſim quoq; *ſanus* ego.

LX.

*I! roſeus, ac Diuus dans.*

*I! Roſeus* totus, Ieſu cum ſanguine ſudas;
Tu Deus, *ac Diuus*, *dans* tua corda mihi.

LXI.

*Viuus orans, cadis des.*

In faciem Ieſu proſtratus, dum *cadis orans*,
*Des* vt coniungat, me tibi *Viuus* amor.

LXII.

*Sis nudè Diuus, ac Roſa.*

Qui Ieſum ſequeris, ſis *nudè Diuus* vt ille;
*Ac Roſa ſis*, capitis ſpinea ſerta gerens.

LXIII.

*Eas nudus ii duc Roſas.*

Iesu *nudus eas*, vt pro me victima fias;
*I i*, *ducq;* tuas flos rubicunde *rosas*.

LXIV.

*Rosas vnicus Diue duc.*

*Vnicus* es nostri flos, & dilectio cordis;
Ast omnes Iesu, *duc* tibi *Diue rosas*.

LXV.

*Rosas Nauis i Deus duc.*

*I Deus* ! en *Nauis* Virgo tibi facta Maria;
Hac illibatas, *duc* tibi naue *rosas*.

LXVI.

*Rosas Deus ducis Naui.*

Quæ tulit Angelici de longè fercula Panis,
Hac *naui ducis*, mi *Deus* ipse *rosas*.

LXVII.

*Rosas vnius dica Deus.*

Quæ sine peccato concepta est, *vnius* Almæ
Tu *Deus* ipse *dica*. Matris in orbe *rosas*.

LXVIII.

*Rosas vi, duc Sina Deus.*

In *Sina* legem populo qui Monte dedisti,
*Vi Deus* ô sacra, *duc* sine labe *rosas*.

LXIX.

*Rosas Deus duc in vias.*

Hîc vbi spina *vias*, *in* cælum pungit, & arcet;
*Duc Deus*, hûc omnes, sparge poloq; *rosas*.

LXX.

*Rosas sinu da, siue duc.*

*Da* flo-

*Da* florum Diuina Parens, ex germine casto;
*Duc* ex Virgineo, *siue rosasq; sinu.*

LXXI.

*Rosas viuens da sidus.*

Viuificans aurora, rosæ prout explicat ortus;
Sic *viuens sidus, da* pia Virgo *rosas.*

LXXII.

*Rosas naui educ sidus.*

Stella maris, nauisq; Deum quæ per mare portas;
*Educ* ex *naui*, *sidus* in Orbe *rosas.*

LXXIII.

*Rosas Deus vnius i duc.*

Virginis *vnius*, peccato quæ caret omni;
*Duc* cælo dignas, *i Deus* Alme *rosas* !

LXXIV.

*Rosas vndas, i, duc Iesu.*

*Vndas*, atq; *rosas*, lateris de vulnere ductas,
*I duc* ô *Iesu* ! cordis in ima mei.

LXXV.

*Rosas Iesu dans duc vi.*

*Vi* dilecte tui *Iesu*, & dulcedine amoris,
*Duc* nos ad cæli, *dans* sine fine *rosas.*

LXXVI.

*Rosas vnis Iesu da duc.*

Omnes quos *vnis*, sacro per secula nexu,
*Iesu duc* ad nos optimè, *daq; rosas.*

LXXVII.

*Rosas iuuans deducis.*

Ad nos de cælo *deducis* Christe iuuamen,
Ipse *iuuans* nostras, sis quoq; posco *rosas.*

LXXVIII.

*Rosas viuis da duc Ens.*

*Ens* Summum,quod viuificas ens omne creatum,
*Duc*, & *da viuis*; o mea vita *rosas*.

LXXIX.

*Rosas videns vias duc.*

Virgo *vias*, nostrosq; *videns* purissima gressus,
*Duc* nos ad Patriæ, quas geris ipsa *rosas.*

LXXX.

*Rosas sanè Diuus duc.*

Vt nos in cælo, Iesu dilecte corones;
*Duc sanè Diuus*, quas dabis ipse *rosas.*

LXXXI

*Rosas nauis diues duc.*

Munera de cælo, Iesu pretiosa tulisti;
Tu *nauis diues*, *duc* sine labe *rosas*.

LXXXII.

*Rosas Iesu induas duc.*

Toto corpore nudus, & cruore
Manas innocuo, scatensq; plagis
O *Iesu* Crucifixe ! vulneratus
Cùm sis, à capite vsq; ad ima plantæ;
Tu si sanguinis *induas* rubentes
De te *ducq;* *rosas*; vt ista saltem
Tegat purpura Te, virum dolorum.

LXXXIII.

LXXXIII.

*Rosas niueas das, i duc.*

Digna Deo solus, qui *das* sacra lilia cordis;
*Et niueas i duc*, Spiritus Alme *rosas.*

LXXXIV.

*Rosas Diuinus educas.*

Spiritus es *Diuinus*, amor Triadosq; Beatæ,
*Educas* dulci Tu bonitate *rosas.*

LXXXV.

*Rosas viuis adducens.*

*Adducens viuis* de cælo munera sacra,
In cælo æternas, da Deus Alme *rosas.*

LXXXVI.

*Rosas vnus ducas diei.*

Vna dies, æterna dies, Deus *vnus* in illa;
Hûic *diei ducas*, tota corona *rosas.*

LXXXVII.

*Rosas Ens vis adduc vi.*

*Ens* infinitum, quas *vis* de pectore nostro,
*Adduc* Diuina *vi*, Deus Alme *rosas.*

LXXXVIII.

*Rosas viuis ducens da.*

Pneuma sacrum, *ducens* ad nos spiracula vitæ
*Da viuis*, sacras cum pietate *rosas.*

LXXXIX.

*Rosas visu adducens i.*

*I* Deus, *adducens* animæ cælestia dona,
Et *visu* nostras cerne fauente *rosas.*

XC.

*Rosas in vuas deducis.*

Spiritus Alme, *rosas* quando *deducis in vuas*;
Mista tuis toties, das mihi vina rosis.

XCI.

*Rosas eas vi vndis duc.*

Quas plantat, cæliq; rigat tua gratia fonte,
*Vndis duc*, & *eas vi* Deus Alme *rosas*.

XCII.

*Rosas denudas, cuiuis.*

Virtutum quas vis, *denudas* spontè *cuiuis*;
Illas ergo mihi, da Deus Alme *rosas*.

XCIII.

*Eua vndis ducis rosas.*

*Eua* Parens *vndis* lachrymarum flumina ducis,
Sed *ducis* castas, Eua Maria *rosas*.

XCIV.

*Vna es, duc rosas Diuis.*

Tu Sacræ Triadis, Virgo cæleste rosetum *es*;
*Duc* ergò, *Diuis* omnibus *vna rosas*.

XCV.

*Is Dea, duc rosas vnius.*

*Is* Diuina Parens, *Dea*, primi criminis expers,
*Vnius* Iesu, *duc* rosa casta *rosas*.

XCVI.

*Vnicus Deus ad rosas.*

Vnicus es, sed totus amor *Deus*, & rosa cordis;
*Vnicus ad* cunctas, sufficis ergò *rosas*.

XCVII.

XCVII.

*I vade, duc ſinus roſas.*

I, nec tange *roſas*, *ſinus* illas Virginis ambit;
*Duc* bona Mater eas, Styx mala *vade* procul.

XCVIII.

*Sinus auidè duc roſas.*

Eſt tibi maternus quoniam *ſinus* vndiq; florens,
Hùc *auidè* niueas, *duc* pia Virgo *roſas.*

XCIX.

*Vnius Dei ducas roſas.*

*Vnius* Alma *Dei* Mater, quas ſola mereris,
Æternùm *ducas* Immaculata *roſas.*

C.

*Viſui roſas adducens.*

Vir cultiſsime, Stemma qui Roſarum,
Præfers ſanguinis in decus vetuſti,
Caſtas, Virgineas roſas Mariæ,
Ortus innocui, Deoq; digni
Quando diligis; & videre lucem
Publicam facis ære copioſo;
*Adducens* quia *viſui* per Orbem;
Illius niueas, & innocentes
Reddis perpetuò *roſas* videndas;
Adducet quoq; lucis increatæ
Illa te in faciem; vt coruſca quondam
Figas lumina viſui beato.

# AD
# DEIPARAM Virginem MARIAM,
*Pro Inuentore Meßis Liliorum,*
## ET ANAGRAMMATVM,
ex Nomine, & cognomine Pòëtæ.

SEraphicus Meſſor, poſtquam tua lilia Virgo
Finijt, & plantis ſubdidit illa tuis;
Poſt operis niuei Faſces, poſt Meſsis Aceruos,
Plexaq; poſt capiti, candida ſerta tuo;
Otia non patitur. nam Spiritus entheat illum;
Quo calet, & toto pectore flamen habet;
Flamen in Angelicis, quo tot myſteria verbis
Spirat; inexhauſto cêu reſerata penu.
Hoc genio, cêu Seraph amat neſcire quietem,
Semper amans, cauſas ſemper amoris habens;
Quo pro Te zelat, Virgo puriſsima totus;
Diligit exortum, quo ſine labe tuum.
Hoc etiam ſacro, quo Te dilexit amore,
Vir pius, & Vatem diligit ille tuum,
Nomina tot vicibus, toties variata reſoluens;
Vt ſenſus habeant, ſic reſoluta nouos.
Litera res minima eſt; ſed maxima ſæpè fatigat
Ingenia, & numerum litera ſæpè fugit.
His pro litterulis, toties in verba reductis;
Seraphici cordis, proq; cliente tuo;
Verbi Incarnati Mater puriſsima cùm ſis;
Ante tuum Natum, da bona verba precor.

Ex hoc

Ex hoc PROGRAMMATE
STANISLAVS IOSEPHVS Biestanouius,

## ANAGRAMMA I.

*Saluus à Iesu i! nisu bis hostes ponas.*

CVm mihi prostratus, supplex tua viscera pandis
 Implorasq; meæ dum pietatis opem;
Ore meo Diuina Parens, tibi dico gementi,
 Rebus in aduersis, dulce leuamen habe.
*Saluus* es *à Iesu*, tibi qui spes, vita, salusq;,
 Placaui iratum, quem pia Virgo tibi.
Qui te conturbant, qui te lethaliter vrgent,
 *Hostes* sunt gemini, corporis atq; animæ.
Hos contra, *ponas* animum, si bella mouere!
 *I nisu* sacro, fortia bella moue,
*Bis* Iesu, nomenq; meum tibi dulce fauebit;
 Hostibus ex geminis, bis quoq; victor eris.

## II.

*Salue suauis à sinu, bis hostes ponis.*

CÆlitùs hæc à te, cum dulci nectare plena
 Verba fero, minimus Virgo Pòeta tuus;
Mente liquesco mea, spe tollor, gaudia cordis
 Sentio, cælesti delicioq; fruor.
Erigis, instauras, confortas languida Vatis
 Pectora; dum per te, stat mihi tuta salus.
Iesus quod me soluet amor tuus, & meus ex te est;
 Gloria concedit, palmaq; tota tibi.

Ergo ſalutari pro munere, proq; trophæis;
Hoſtibus ex geminis, quæ mihi Virgo paras
Mille tibi palmas necto, cano mille triumphos;
Teq; per alternas mille ſaluto vices.
O *ſuauis* Virgo! Mater ſuauiſsima *ſalue*!
O ſalue victrix maxima Virgo Stygis!
Tu palmare decus, mihi tu Victoria tota;
Vincendi per te, gratia ſumma datur.
Nempè tuo Ieſum, quo tu benedicta tuliſti;
A niueo pendet gratia tota *ſinu.*
Tu Ieſum vincis precibus, tu ſtringis in vlnis;
Tu vinctum nobis, propitiumq; facis.
*Hoſtes bis* victos, tu *ponis* in orbe triumphans;
Biſq; trophæorum ponis in Orbe decus.
Sub pedibus Ieſu, fracta ceruice ſuperba,
Sub pedibuſq; tuis, dum ſine fine gemunt.

III.

*O ſalue vas ſapiens! vt ſonus bis his i!*

INfinita Patris ſapientia, Filius ante
Secula, quem genuit Numinis ore Pater,
In terras Verbum deſcendens, quæſijt in quo
Auguſtam ſedem poſſet habere loco.
Vas purum, *ſapiensq;* illi, puriſsima cæli
Gratia poſcebat, mens ſapienſq; Dei.
Tu ſine peccato, tu prudentiſsima Virgo,
Magna Dei Genitrix, ſolaq; digna Deo,
*Salue vas* ſapiens, immenſi Numinis arca,
Vaſq; Deo plenum, vas pietate micans.

O quam

O quàm dulcè ſonat ſapientia Numinis in te!
*Vt ſonus*, ex alto qui ſonat ore Dei.
Nam prædulce ſonat. Verbum, quod corporis ex te
Humanam ſpeciem ſumpſit, amore hominum.
*I* ergo *bis* grata Deo, Virgoq́; Parenſq́;;
Quæ Matris decus, & Virginitatis habes.
Si vas es ſapiens, da puri lumina cordis;
*His* qui deſipiunt carne, Deoq́; carent.
Da mihi cor ſapiens, in quo ſapientia ſumma
Sit mihi, præ cunctis, nôſſe, & amare Deum.

IV.

*En tibi paſſus Ieſus viſus, honos ala.*

QVis dolor o anima eſt! grati quod lumina viſus
Non habeas, tenebris quodq; grauata gemas.
Corporis abſq́; oculis, annon lux intùs habetur?
De cælis radio, quæ potiore micat.
Erige te, carniſq́; oculos haud mœſta require;
Eſt pupilla tibi maxima, Solq́; Deus.
In Cruce ſanguinea quamuis ſub nube latentem,
Fac animo Solem, contueare tuum.
*En tibi* Sol IESVS, pro te ſæuiſsima paſſus,
Oſtia tot lucis, vulnera quotquot habet.
Hic tibi *viſus* erit, meliùs quo cuncta videbis;
Si tuus in Ieſu corde, videbit amor.
Hic tibi ſummus *honos*, quia non eſt gloria maior;
Gloria Diuinæ, quàm veneranda Crucis.
Hîc tibi, deuoti cordis pernicior *ala*;
Ad cor dilecti, quæ volat vſq́; Dei.

Si melior visus, si gloria maior, honosq́;
In Iesu passo, si Deus ala tibi?
Tune oculo carnis, quod sis orbata, dolebis?
Plùs oculo mentis, quando videre licet.

V.

*Habes noua intùs, sapis si vis solues.*

MI Iesu, mi dulcis amor, quod vulnere cordis
Delector nimiùm, deliciorq́; tui;
Oscula quod figo, toties quod dulciter insto;
Ostia quod lateris, pulso, premoq́; tui;
Dulcis amor, sanctusq́; iubet, quo mens mea flagrat;
Sed latet arcano, res quoq́; nota meo.
Ardor discendi stimulat me. nam *noua* Iesu,
Transfixi in medio pectoris, *intùs habes*.
Sunt noua, pro mundi quod tu patiâre salute;
Proq́; hominum vita, quod moriâre Deus.
Hæc noua, quæ sapiam, quæ discam scrutor, amoq́;.
Quod dictat cordis, sacra Cathedra tui.
Tu *sapis* hoc, *si vis*; sed vis dulcissime Iesu
Hoc, vt ab æterno sis mihi tota salus.
Mundo Crux ænigma fuit, sapientia cælo;
Quæ sapit his, quibus & Crux tua dulcè sapit.
Hoc ænigma mihi *solues*; per vulnus amoris,
Dum cordis solues, ostia grata tui.

VI.

*Bonus, pius es, nos salua, his ait Iesus.*

QVis tibi, mi Iesu, lacerati corporis artus,
In Crucis extentos arbore fixit? amor.

Cuspi-

Cuſpide quis dira, lateris perrupit ad imum ?
Cor tibi transfixum quis penetrauit ? amor.
Quis te non hominem, poſt tot tormenta, necemq́;
Pro me vermiculum, ſed magè fecit ? amor.
Siccinè dirus amor, cordis licet ipſe medulla,
Excors naturam hîc, exuit ipſe ſuam?
Hoc tua, mi Ieſu pietas, bonitaſq́; ſtupendum
Fecit opus; dulcem quod ſine felle tuus,
Naturam mutauit amor, totuſq́; receſsit
A ſe, ſic miſcens omnia felle tibi.
Tam *bonus*, & *pius es*, naturam vt prorſùs amòris
Immutans, lenem feceris eſſe grauem;
In te dum ſæuit, genio dum ſeruit amantis;
Vt dulcor totus, ſit merus, ipſe dolor.
Artibus *his* Ieſu, quibus immutâſſe placebat
Dulcia pro nobis, ſint vt amara tibi.
*Salua nos*, Vincens naturam, cælica pro te,
Vt nobis fecit gratia, dulcè mori.
Hoc ago, dum morior, veſtro conſumptus amore;
Ad vos dum pando brachia, *Ieſus ait*.
Frangite naturam, date cor mihi, vincite mundum;
Hoc vobis per me, Crux mea, morſq́; dabit.
Gratia præſtò mea eſt, ſit præſtò veſtra voluntas;
Sic eritis mecum, dulcis, & vnus amor.

VII.

*Is is, abi, viuas hoſtes ponens ſaluus.*

AD mortem properas Ieſu, quis proh dolor vrget?
Vt meus heu pro me, ſic moriatur amor.

Ni moriar

Ni moriar pro te, non viues : môrs mea, vitæ
Causa tibi; quæ me cogit amore mori.
O amor! *is*, properas, meus *is* dulcissime Iesu
Ad mortem, pro me, sic amor vrget, *abi*.
Mors tua, vita mea est. Crucis est victoria pro me;
Vt viuam, vita te moriente mea.
In Cruce dum moreris, dum sic ex morte triumphas,
Marmore funereo, dum tumulatus abis;
Corde meo *viuas*, ac *hostes* sub Cruce *ponens*,
Vincas mi Iesu, sic ego *sa'u us* ero.

VIII.

*Ohe est Isaias, sapis nobis vnus laus.*

IN Cruce, quanta tibi Iesu toleranda fuêre;
Vis mortis fuerit quanta futura tuæ;
*Est Ohe* sat magnus, sat verax testis, ab altô
Qui totus sacro Flamine, plenus erat,
*Isaias* Vates, oculo qui mentis aperto
A longè vidit, Crux tua quidquid habet.
Ille truces clauos, & vulnera sæua, tuamq;
Vidit per mortem, quando salutis opus.
Hoc ex teste patet, tibi quàm decreta voluntas,
Hæsit ab æterno, velle parata mori.
Id tua si voluit bonitas, sapientia, amorq;
O Iesu! nobis quàm benedicte *sapis*.
Omnia si laudum, superas Encomia solus;
Qui sacra pro nobis, victima solus eras;
Laudibus immensis, pro tanto dignus amore,
*Laus nobis, vnus* sis Crucifixus amor.

IX.

IX.

*Soluis Aue, vehis bis ſonans, vt ſapis.*

ARcani cæleſtis Aue, myſteria ſumma
Quæ capiat vaſto gurgite, nemo capit.
Angelus ipſe Dei, per quem legatio tanta
Miſſa fuit, ſacrum non penetrauit Aue.
Verbi Incarnati ſecretum, grandis abyſſus;
Atq; ænigma Dei quod niſi ſoluat amor.
Hoc tu, mi Ieſu, Verbum ſapientia Patris,
Quod ſolus poteras condere, *ſoluis Aue.*
Naturam geminam coniungens lege perenni,
O Deus, ex pura Virgine factus Homo!
Ad nos deſcendens, Diuino Numine tecum,
O quàm de cælo, dona beata *vehis!*
*Biſq; ſonans* quamuis, vnum ſed dulce celeuſma
Occinis, ipſe tuus quod tibi dictat amor.
Immenſæ Deus ergo tuæ Deitatis honori,
*Vt ſapis*, æternùm quod ſapis, ipſe cane.

X.

*Sophe nubis viſu, ſis à Siloe ſanatus.*

SVpplico, poſco, gemo, velatus nube doloris,
Aſpectu lucis, Sole, dieq; carens.
Ad te ſuſpiro, veſtitu ſolis amicta,
Exortus inter, lucida tota tuos;
Quæ dederas nubem carnis, de ſanguine puro,
Soli iuſtitiæ, Mater amica Deo.
Nubem tolle meam, pupillam terge, diemq;
Reſtituens, noctem lux mea pelle grauem.

Si placet, vt videam, Solem, cælumq́; , diemq́; ;
Sis aurora precor, ſis Cynoſura mihi ;
Hos oculos ſana, mea quos inſania vitæ
Excæcauit, & heu cæcus amoris amor !
Sordes immundæ peccati, nube quod alta
Inuoluunt, munda tu m-ra munditíes.
Audijt, & Matris ſuauiſsima viſcera pandens,
Peccatoq́; dolens lumina rapta mihi.
Dulce dedit verbum, Mater puriſsima Verbi :
Si vis, vt viſu mi *Sophe* ſanus eas ;
Hæc *nubis* cortina tuæ, decedet in ictu
Mota oculi, *viſu* mox quoq́; ſanus eris ;
Si ciſterna mei, pretioſo ſanguine Ieſu
Quæ manat, dederit pura fluenta tibi.
Illa velut Siloe noxas, & crimina tollens,
Mundat, viuificat, ſanat, & irradiat.
Hac *Siloe* Ieſu *ſanatus*, *ſis* Sophe primùm ;
Lotus vbi fueris, interiùſq́; videns ;
Mox tibi lux oculos, nitido clariſsima viſu
Reſtituet, ſi fors, res placet iſta Deo,
Siq́; animæ prodeſt. nam lux ſine lumine viſus,
Si Ieſum videas, ſufficit vna tibi.

XI.

*Aue bis ſoluis, his, ſat nouus Panis es.*

CVm Patris è gremio deſcendens, Virginis Almæ,
Dulcis amor Ieſu, viſcera caſta petis ;
Hoſpitis aduentu tanti, recreatus ab alto,
Dulce tibi primum, dico ſalutis Aue,

Ange-

Angelici Panis, rurſus dum nube latentem
Credo, libens dico mox tibi rurſus Aue,
Sic bis deſcendens, cælo gratiſsimus hoſpes,
*Bis*, quoq; quod dico, dulce mereris *Aue*.
Iſta ſalutantis, qui mecum gaudia cordis
Ingeminat, quorum dulce triumphat Aue;
*His* tu quid *Soluis* Rex Optime? nempè teipſum
In Sacramenti munere ſoluis amor.
O amor! ô pretium pretio ſine! quàm benè ſoluis!
Qui te das, quando ſoluis amoris opus.
Tu licet Altaris, digniſsima victima cælo,
Angelici Panis, ſecula tanta feras;
*Sat nouus es Panis*, noua ſemper dona miniſtrans;
Ergò nouum Ieſu, ſit tibi ſemper Aue.

XII.

*Nobis Sophus Natus, à Ieſu ſis laus ei.*

QVis ſapit à Ieſu? de Ieſu Virgine Nate.
Qui ſapit, exortu quod ſine labe ſuo,
Immaculata Deo ſic præſeruante; nitenſq;
Orta ſit, Adami non temerata malo.
Hoc ſapere, eſt ſapere à Ieſu, de pectore dulci
Diuini cordis, dogma tenere ſacrum.
O Sophe! qui ſapis hoc, nunc demùm Numine dignā
Rem ſapis, & dignam Virgine Matre Dei.
Tu *Soph... à Ieſu, nobis es Natus*; in orbe
Vt ...gnæ Matris, ritè triumphet honos.
Hoc ſapias, dicas, defendas, per Cathedraſq;
Arcanum ſapiens, hoc ſonet ore tuo.

 Vt ſis

Vt ſis â Ieſu, ſic Ieſu dilige Matrem;
*Laus ſis* talis *ei*, ſic ſapieſq; Deo.
Nam ſic laudata, Ieſus pro Virgine Matre,
Laus erit in cælis, atq; corona tibi.

XIII.

*Oh ſine viſu ſapis! vt baſis nos leuas.*

IAm cælo frueris, iam quod ſine lumine viſus,
Viderat in terris, lux tua, menſq; videns,
Nunc videt ad faciem, cæleſti lumine plena;
Angelico tectum, quod latitauit Aue.
Hoc erat Agnenſis, ſecretum grande Ioannes,
In terris patuit, quod ſine luce tibi;
Quod tu quæſitum toties, tot ſenſibus altis,
Ecce reuelatum, iam ſine nube vides;
Iamq; voluptatis, quando torrente beato
Diffluis; hoc verum quod fuit, eſſe probas;
Quod ſine peccato, fuerit Concepta, nec vlli
Exoriens fuerit ſubdita Virgo notæ.
Diſcimus hoc ex te, legimus, miramur, amamus;
Litera quod toties ducta, reducta docet;
Semper idemq; vices, loquitur per mille recurrens,
Quod Concepta Dei, ſit ſine labe Parens.
*Oh* quàm dulcè *ſapis ſine viſu*! quàm benè cernis
Abſq; oculis, Argus Centoculuſq; vides;
Quàm fundamentis ſolidis, hæc dogmata firmans,
*Vt baſis* hac in re, *nos* benè firma *leuas*!
Indè tot ingenijs Anagrammata Virginis, à te
Cœpta ſequi placuit, dum meditantur Aue.

Hæc

Hæc tibi laus cedat, iam nunc Diuina videnti;
Quod sis lux nobis, Dux sine luce videns.

XIV.

*Valeas visu honestus, sis nobis apis.*

NOn poterat melior, nec honestior vlla videndi
Causa tibi, cælo grata, Deoq; placens,
Quàm venisse, Dei pro Matris causa triumpho;
Quem victrix, toto ducit in Orbe palam;
Quod caput elisit Stygij, fregitq; draconis,
Conceptu veniens Immaculata suo.
Hoc quisquis visu penetrans, & acumine mentis;
Quisquis in Augusta Virgine Matre videns;
Quàm *valeas* animi *visu*, quàm totus acutè
Cernas, ostendis; dum tibi luce patet,
Luce reuelatum Diuina; labe quod omni
Exemptam Matrem, vult Deus esse suam.
Hic animi sensus verax, præclarus, *honestus*;
Sic sentire, Dei gloria summa iubet.
Hoc nectar, dulcesq; fauos sapit, inq; medulla
Cordis, Virgineum mel sine felle gerit.
Nam fel peccati, non est in Virgine; Iesum
In se, dulcorem quæ Deitatis habet.
Qui de Matre Dei, sentis tàm dulciter; ergo
*Sis nobis*, ex hoc nectare, dulcis *apis*.

XV.

*O Saule visu sapies sonans his tubis.*

SAulus zelator nimius, spiransq; minarum
Contra Discipulos, Christiadûmq; fidem,

Dum petit ardenti genio, properatq; Damascum,
Electis portans vincula sæua, neces;
Cælitùs audita, subitò cêu fulmine tactus,
Voce cadit, tremulo vix hiat ore gemens;
Cespitat, & visu priuatus ducitur ægrè,
Deponit gressu iam titubante minas.
Sed nisi priuatus, sic lumine, Saule fuisses;
Vidisses nunquam, quanta videre tibi
In cælum rapto licuit, quæ non licet vlli
Dicere mortali; nec penetrâsse licet.
Sic quoq; felix es, qui donas lumina cælo,
Tu magis in rebus, nempè volente Deo,
Ablato *visu sapies o Salue*! Deiq;
Fies electum vas, fideiq; tuba.
Sic Orbis Doctor, lux fulgens, & tuba factus;
Intonuit Paulus, clasica grata Deo.
Quot numerat voces, quot scriptis dogma ta promit;
Angelicis Iesum, tot sonat ille tubis.
*Hisce tubis* & tu, Iesumq; *sonansq;* Mariam,
Saulus eris sapiens, dulce canensq; tuba.

XVI.

*In hostes sapis, à visu, sis bonus vale.*

IN tenebris animæ, locus est hostilibus armis;
Interiora hominis nubila, dæmon amat.
Captio nam facilis, dum lux non cernitur vlla;
Hostilesq; dolos, noctis opaca tegunt.
Dæmonis ingenium, sed lux Diuina reuelat;
Splendoremq; animæ, larua nefasta fugit.

Lux

Lux Deus est, Materq; Dei purissima Virgo
Exortu vitæ lucida tota fuit.
Si sapis, ad lucem fugias, securus *in hostes*,
Dum *sapis à visu*, mentis in auge moue.
Hanc lucem sequere ; vt sapias hanc dilige lucem ;
Hæc Stygis ostendet, lux tibi pura dolos.
Vt vincas hostes pro Virgine, *sis bonus* Heros,
Fortia mentis ad hoc robora, Virgo dabit.
Sic age, sic pugna, sic hostes vince, triumpha ;
Æternùmq; poli victor in axe, *vale*.

## Datum ex PROGRAMMATE.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

*Anno Domini.*

*VeLLem hIc verbVm DiVinVM mIte nasCI, fac, CItò mVnda.*

VErba Prophetarum, secretis tecta figuris,
Quæ sacer, in veteri dogmate textus habet,
Dum legeret Virgo, cælesti Flamine plena,
Perpendens animo, totaq; mersa Deo,
Altos per gemitus, & per suspiria mille ;
Felices illos accelerare dies,
Vt vellet tandem bonitas immensa, Deiq;
Infinitus amor, corde gemente diu
Optabat ; cupiens Messiam cælitùs Orbi
Venturum, post tot secula lapsa dari.
O quàm, dicebat *vellem* ! quod corde Paterno,
Immensis residens delicijs fruitur.

*Hic:*

*Hîc nasci, Verbum Diuinum mite, suâue,*
Corporis humani nube Deumq; tegi.
O amor! ô resera cælos, ac æthera rumpe!
Dulce veni Verbum, dulcis amorq; veni!
Quæ tibi Mater erit? quæ te purissima Virgo
Terq; Beata Parens, vbere lactis alet?
Aduoluar plantis eius, cultuq; profundo
Ancillam Matri, me dabo tota Dei.
Hoc dum corde geris, suspirans, poscis ab alto;
Angelus è cælis, nuntius ecce tibi
Missus adest, arcana ferens mysteria; perq;
Diuinum Virgo, dum tibi dixit Aue;
Te Matrem Domini dicit, gaudetq; futuram;
Dum te fœcundat Spiritus ipse Dei.
Ancillam quæ te dicebas, Maxima Christi
Tu fies Mater, veraq; Sponsa Dei.
Hoc vt opus Virgo acceleres citò, *fac* citò dicas
Fiat; erisq; Dei sic *citò mùnda* Parens.

Die 18. Mense Decembri.

*VIcI VerbVm humilitate, nunc de cælis micam fundam.*

TRiumphus Orbis Io Pæan personet.
Plaudente cælo; sed trementibus Stygis
Diræ cauernis. iam triumphum concino,
Laurusq; necto, grandinoq; lilijs
Torphæa figens, & colossos nobiles.
Æterna victrix nempe primùm gratiâ

Conce-

Conceptionis viceram purissimæ
Caput draconis, Adami dum nescio
Primos reatus; indè plena gratiæ,
Ancilla *vici verbum humilitate*, & Dei
Sum facta Mater, hoc honore maximo
Vici creaturis in omnibus, Deum
Est quidquid infra, cælitûm fastigijs
Prælata cunctis maior; eminentior
*Nunc* ergo cæli; cuncta quamuis possidens
Vobis animæ piæ, meiq; Filij
Dulces amicæ, cordium solatio
Fauente *de cælis* manu, *micam* nisi
*Fundam.* deinceps gaudij voragine
Vt vos abyssus illa, Sacratissimæ
Mellita, dulcis, æuiternè sorbeat
Diuinitatis vnitas & Trinitas;
Cûi sit perennis, ob Mariam Virginem,
Honor, triumphus, claritas, & gloria.

## Elogium huius operis in Maio cœpti,

*in Octobri perfecti,*
tumet Magni Authoris,
STANISLAI BIEZANOWSKI.

MAius misit opus, quod nunc Octobre remissum,
Plusquàm octo gradibus maius, adoro stupens.
Quod carmen? quæ Musa tuo de carmine; Musa
Deq; tua laudes Magne, Pòëta canet?

Si lice-

Si liceat, cuperem tibi reddat vt Orcus Homerum,
Ad nomen ſurgant, vt ſua plectra tuum;
Et te præ Graijs recinant Heroibus vnum,
Improba mentis at hæc, improbo vota meæ.
Quid tibi cum Stygijs Vates præclare tenebris?
Ille eſt Iliacus, tu Marianus olor.
Tu canis innocuam, magno cum Numine Matrem;
Ille Deos, dicam veriùs ille reos.
Ergo ſuum teneat Plutonis Regia Vatem,
Tu BIEZANOWSKI noſter Homerus eris.
Ingenium ſic pange tuum; ſed id officit vnum;
Ingenio hûic, nullum, ſufficit ingenium.

## *Errata ſic corrige.*

In Meſſis 5tæ, Epigram. 149. pro Ii nam alme, lege ij namq; almè. in Faſciũ Epigram: 117. verſ: 6. coniuncat, lege conuincat. Epigram 124 verſ. 1. pro Caantus, lege cantus. In Aceruorum Epigram: 49. pro vnionem, lege vnionum. eodem Epigram. verſ. 13. pro gaudium, lege gaudiorum. Epigram. 54. verſ: Vlt. pro Cor vnum Almi, nam Patris ipſa tuli. lege, Almi cor vnum: nam Patris ipſa tuli. Epigram: 102. pro fiere, lege figere. Epigram. 189. pro Hunanum, lege humanum. reliqua prudens Lector, orbatæ viſu condonet Muſæ.